



In principio del frontespizio vi è la firma originale d'Alberto Lollio,
e di cui originali parimenti sono le postille manoscritte. Può farsene
il confronto col fac-simile del med.o riportato nelle vite, e Ritratti
di 30. Uomini illustri Ferraresi. Bologna Tipografia Zannoli del 1833.

Che le postille sieno del med.o a convincersene — M. Alberti
basta leggere quelle al foglio 19. retro
Nel terz'ultimo foglio vi è un'indice mss.
autografo parimenti del med.o

378



~~Alberti Lollij~~

CYNTHII

IOANNIS BAPTISTAE GYRALDI NOBILIS FERRARIENSIS ILLVSTRISSIMI AC EXCELLENTISS. HERCVLIS ATESTINI .II. DVCIS FERRARIENSIVM .IIII. AB EPISTOLIS

DE FERRARIA ET ATESTINIS PRINCIPIBVS COMMENTARIOLVM

EX LILII GREGORII GYRALDI EPITOME DEDVCTVM.





FERRARIAE PER FRANCISCVM RVBEVM,
MDLVI. MENSE FEB.

AD ILLVSTRISSIMVM, AC EXCELLENTISSIMVM HERCVLEM.II. FERRARIENSIVM DVCEM .IIII.

Flauius Antonius Gyraldus Cynthii Frater.

Conſtiterit tua in vrbe diu cum Lilius æger;
Et miſerum Herculea iuueris vnus ope;
Auxilii poſt fata memor, gratusq́; recepti;
Hoc viridi vmbrarum valle peregit opus;
Sanguine vbi aſpicies quo ſit tua ducta propago;
Inclyta magnanimos quot tuleritq́; Duces;
Hic te etiam, inuicte Alcida, cum prole videbis;
Quæ tanto naſci Principe digna fuit;
Nec te verborum capient faſtidia, nanque
Non multa, at multum, perſpicuumq́; leges;
Auctum opus, & Cynthi cognoſces arte politum;
Vt fieri propria ſcripſerat ille manu,
Suſcipe gentilis noſtri nunc, Maxime Princeps,
Dona, quæ ab Elyſia ſunt tibi miſſa domo.

ILLVSTRISSIMO, AC Excellentissimo HERCVLI Atestino. II. Duci. IIII. Cynthius Ioannes Baptista Gyraldus. S. P. D.



ILIVS Gregorius Gyraldus gentilis meus, Illustrissime PRINCEPS, īter ea, quæ ex antiquis scriptorib. assidua cura, ac lungis vigiliis obseruauit, & memoriæ, literarū monumentis, cōmendauit. nonnulla etiam quinis, senisue ad summum pagellis, de Ferrariæ origine, & de Illustriss. Atestinorū familia, quæ iā tot seculis Ferrariēsi populo felicissimé dominatur, ex ipsius antiquitatis penetralib. et veterib. domesticisq; nostris annalib. collegerat. Et cum videret vir egregius tanti negotii rem, eā sermonis elegantiā, eūq; splēdorē requirere, qui & vrbi tam Illustri, & clarissimo Atestinorum Principum generi, & rerum gestarum magnitudini responderet, seq; ob articulares dolores, qui ipsum, nō dixerim īpediuerāt, sed adeo' cōfecerāt, ac cōtriuerāt, vt nimia vi morbi totus īmobilis esset effectus, id præstare minime posse, ea rerū capita, quæ angustis, cōcisisq; verbis pagellis illis breuiter ānotauerat, ad me misit, literisq; suis hortatus ē, vt illa meo stilo, atq; oratiōe, et latius, & luculētius explicarē. Cæterum cū illa me, & publicis, & priuatis negotiis īpeditum, & id opus meditantem offenderint, quod de rebus à

prisco illo Hercule, cuius tu nunc, PRINCEPS AMPLISSIME, nomẽ, et virtutẽ refers, propè diuinitùs gestis, iã septẽnio, à die, quo mihi Lilius epitomẽ dedit, ĩchoaui, ad munus hoc obeũdũ mẽtẽ, animũq; cõuertere nequi. Eius.n. qđ iã suscepi opis põdus adeo ĩmane, atq; ĩmensum est, vt totum hominem non tantum requirat, sed Herculeo propè animo, ac robore illum esse oporteat, qui tanto oneri possit sufficere. Adde etiam, quod me clàm non erat, non cuiusuis esse tantorum Principum res, cum domi, tum foris fortiter, ac sapiẽter gestas, pro rei magnitudine, historia complecti. Cunctabar igitur, & animi dubius rem de die in diem traducebam. Hoc vero' cum animaduertisset prosper Pasethus, vir inter omnes iurisconsultos morib. ac probitate insignis, & singulari virtute ac eloquentia clarus, quem Lilius mecum, ex asse, hæredem instituerat, ægrè tulit hoc, quod de te, & de maioribus tuis, Principibus nostris, vir clarissimus (paucissimis licet) collegerat, apud me diutiùs delitescere. Meq; cunctantem, & in re graui ancipitem suis hortationibus, veluti stimulis quibusdam, impulit ad illa edenda, quę Lilius his de rebus carptim literis mandauerat. Et cum ego Prospero dixissem, optasse Lilium ea pleniori, atq; ornatiori sermone describi, hocq; mihi muneris demandasse, nuncq; tantum ocii non esse, vt in eam rẽ æquè, ac par esset, incumbere possem, multoq; hoc mihi maiori negotio futurum, si ad id aggrederer, quàm vel Iustino quondã, fuerit vel Floro in Trogo, & Liuio, in Epitomem deducendis. Quòd illorum vterq; in splendissimorum auctorum la-

tissimis monumentis, & illis illustribus versatus esset. Ego vero' ieiuna, & prope arida essem non solùm enarraturus, sed ẽt locupletaturus, quod profecto' nisi lungo studio, & animo à curis omnibus vacuo vel à me, vel à quoquam alio perfici poterat. Non accepit excusationem Pasethus, quin, inquit nunc satis tibi erit, Cynthi, quo' gentilis tui voto facias satis, hęc omnia mediocri stilo tractare, nam integrum etiam relinquetur ista eadem, cum plus otii nactus fueris, & ampliori, & splendidiori oratiõe explicare. Aiebatq; Liliũ, virum optimum, ac sanctissimum, non alia de causa has suas lucubrationes mihi credidisse, quàm vt per ora, & hominum manus deferrentur, testarẽturq; illius in me tum fidem, tum amorem, & propẽsam totius generis nostri in te, Atestinosq; Principes, voluntatem. Quare cum viderẽ id Prosperum à me suo iure (hæres.n. mecum est) postulare, nolui amicissimi, atq; optimi viri hortationibus voluntatem meam opponere, cum igitur hęc edere pari animo statuissemus. Ego totis his. XL. diebus, quibus a' publico profitendi munere feriatus sum, re iterum, atq; iterum inspecta, ea vsus sum auctoritate; quam mihi Lilius suis literis concesserat, tum in iis; quę ad historię fidem attinere videbantur, tum etiam in iis, quę certiorem rerum intelligẽtiã possent afferre. eáq; oĩa quæ ipse mihi nuda rerum capita proposuerat, quanto' ornatiùs, tantis in rerum òccupationib. mihi licuit, non integra sane' historia, sed breui hoc commentariolo explicaui. Forte' alias mihi tempus, & occasio dabunt, hæc omnia grauiori numero, ac oratione ampliori historia com-

plecti. Interea vero, ILLVSTRISSIME PRINCEPS, hoc à Lilii nostri Epitome munus de ductum, quod ego, & Prosper illius hæredes tibi offerimus be nignè suscipe, & ea, quæ nobis facis, ocia tua liberalitate conserua, vale, PRINCEPS OPTIME, Gyraldi, & Pasethi non immemor, Ferrariæ. IX. Kl. Martii. MDLVI.

EX LILII EPITOMAE INITIO.

Tu vero, mi, Cynthi, cui suppetit, & ingenium, & stilus, tibi simul, & patriæ consule, vt tecum ea ab obliuione ad immortalitatem vendicetur, nihil. n. illustrius magnificentiusue efficere poteris, quàm eam scriptis illustrare tuis.

ITEM IN EIVSDEM CALCE.

Hæc vero tibi, mi Cynthi carissime, breuissimè collegi, & concisè perscripsi, vt cum tibi suppetet ocium à publicè prælegendis, & interpretandis auctoribus; & à faciendis in omni scœna fabulis, penè antiquas superantibus, tuum etiam exerceas historiæ stilum. Vale, & memineris cum tuo nomine patriæ, & familiæ nostræ nomen accrescere. Ex cubili præcario nostro. Idibus Octobris. M D X L I I I I.

AD ILLVSTRISSIMVM, AC EXCELLENTISSIMVM HERCVLEM .II. FERRARIENSIVM DVCEM .IIII.

Cynthius Io. Bap. Gyr.

Fœcundas Baccho fert gratus vinitor vuas,
Cum largo complet fœnore vota Deus,
Si niueum fœtura gregem ſuppleuerit; olli
Dat lactis paſtor Cymbia plena Pali;
Et Cereri, fauet illa auido ſi fortè colono,
Exornant ſacras ſpicea ſerta comas,
Nos quoque, quod nobis, Princeps, grata otia præſtes,
Hæc tenui ingenio condita verba damus,
Queis genus omne tuum noſces lungo ordine ductum,
Quod geſſit viuens iſte, vel ille decus,
Tu cape dona libens, & quę facis ocia ſerua,
Vt quandoque tuis laudibus ęqua canam.

CYNTHII IOANNIS BAPTISTAE GYRALDI

nobilis Ferrarienſis

ILLVSTRISS. AC EXCELLENTISS. HERCVLIS ATESTINI .II. DVCIS FERRARIEN. .IIII.

ab epiſtolis.

de Ferraria, & Ateſtinis Principibus commentariolum,
Ex Lilii Gregorii Gyraldi Epitome deductum.

VRBEM FERRARIAM, *quæ, ex multis ſeculis, hodie ſic vocatur, inuenimus* NIVENTVM *aliquando appellatā, Interdum* FORVM ALIENI, *ſeu* FORVM ARIOLI, *vnde etiam aliquo tēpore* FERARIOLAE *nomen ſortita eſt, quę à poſterioribus ſcriptoribus, addita (vt fit) litera,* FERRARIOLA *nuncupata eſt, Quamquam non deſunt, qui nō caſu, ſed à Ferrariolo amne, qui Conſandalū verſus fluebat, ipſam id nominis ſortitā eſſe prodiderint. Sed hęc ex antiquis annalibus parū comperta, & penè obſoleta, atq; antiquata, ſcientes, ac prudentes linquemus, & ad aliquid certius, atq; exploratius de ipſa ſcribendū ſtilum cōuertemus. Eā ſanè à paruis omnino initiis, Sicut* VRBEM ROMAM, *olim rerum, ac gentium dominam, caput extuliſſe compertum eſt, iſq; fermè ipſius certior ortus á ſcriptoribus traditur. Cū Attila Hunnorū Dux, atq; Imperator, Bleda*

fratre ſæuiſsimè interempto, ad Italiam inuadendam infen ſiſsimis barbarorum copiis acceſsiſſet, Aquileiamq́; expu gnaſſet, ferroq́; & igni vaſtaſſet, Vicentini, Veronenſes, Brixienſes, Mediolanenſes, Ticinenſes, aliiq́; vicini popu li, crudeliſsimi, Scythę ſæuitiam perhorreſcentes, vt barba ricum immaniſsimi hominis furorem euitarent, ad extremam propè Adriatici ſinus oram, in campo, qui & amplior, & e ditior inter æſtuaria eminebat, trepidi admodum confuge runt, & tutas ſibi ſedes ibi pararunt. Et cum ex hac ad alias proximas inſulas proficiſcerentur, moxq́; omnes, cõſtructis pon tibus, eo ingenio iunxiſſent, vt quanuis diſsitæ, ac ſeiunctæ eſ ſent, vnum tamen corpus efficerent, tandem, feliciſsimis auſpi ciis, VRBEM VENETIAS, qua nulla to to terrarum orbe admirabilior, aut ad Italię libertatem tutan dam paratior, cerni poteſt, condiderunt. Ex illis autem po pulis nonnulli, ad eas etiam inſulas, quas Padus alluebat, Electrias ab antiquis appellatas, diuerterunt. Hasq́; inſulas barbara voce MASSAS vocarunt. Quarum nomi na, quòd & in Pontificiis diplomatibus, & in eorum monu mentis, qui cronica noſtra ſcripſerunt, explicata ſint, non re cenſebo. Ab illarumq́; etiam, & totius agri Ferrarienſis fi nibus deſcribendis, me abſtinebo, quòd Priſcianus, cum ve teris etiam Italiæ cuiuſdam figura, in qua locorum nomina li teris Græcis deſignata ſunt, quam, ait vetuſtiſsimam, & fe rè carie conſumptam Patauii reperiſſe, primo hiſtoriarum li bro, & alii cum ipſo cronographi, illos exquiſitè admodum

Venetiæ conditæ.

tradiderunt. Illud tamen silentio non inuoluam, omnes, qui locis illis regendis praeerant, à MASSIS MASSARII *nomen obtinuisse. Quod nominis in villis nostris, & in qualibet ciuitatis Tribu (quod Peregrinus Priscianus in Ferrariensi hystoria scriptor non indiligens literis mandauit) etiam nunc adseruatur. Inter has uero illa nobilior erat, quam* BABILONICAM *nuncupauerant. Quod profectò non sine diuina maximi numinis dispensatione euenisse crediderim. Cum. n. eo in loco vrbs nostra prima, ac potiora verae vrbis incunabula posuisset, voluit ipsa praepotentis numinis maiestas eo nomine significari, ipsam aliquando vicinis vrbibus tantò praestantiorem fore, quantò omnibus Syriae ciuitatibus Babilonia praeest. Quamquam Priscianus eam* BABILONICAM *appellatam asserit, quod quacunque in regione, nomine à Babilonia deducto, Metropolis omnis ciuitas Babilonica diceretur.* BABILONICA *autem insula ea erat, in qua templum diuo* GEORGIO, *tutelari nostro, sacrum erectum videmus. Cum vero hanc nobiliores incolerent, quòd hi reliquis omnibus aliarum insularum incolis prudentiores, & grauiores viderentur, aequum omnes existimarunt, ibi ex primoribus virum vnum eligere, non minus prudentia quàm probitate insignem, cui omnes eorum locorum controuersiae bono, aequoq; iure cognoscendae, ac iudicandae committerentur. Huic autem ex singulis aliis locis vnus assistebat, inter quos ille, veluti Decurionum magister, principem locum obtine-*

XII Sapientes, unde originem habeant.

bat, à quo ſané optimo vſu, et vetere inſtituto arbitror XII. ſapientes, qui nunc totius vrbis vices gerunt, & eorum iudicem, qui Tribunitiā præ ſe fert poteſtatem, deductos, ac, veluti à fonte, corriuatos fuiſſe. Cæterum, cum locus ille indies, ob aduenarum frequentem concurſum, nobilior fieret magisq; celebris, illi (quod iam diximus) Ferrariolæ nomen inditum eſt. Et diui Georgii templum Epiſcopo ſedes decretum fuit, & Maurelium Theodaldi Edeſſę (Meſopotamiæ locus eſt) principis filium, primum Ferrariæ Epiſcopum fuiſſe (quod ego vix auſim affirmare) à quibuſdam creditum eſt, noſtris vero' in cronicis illud, compertum habetur Marinum, vel (vt alii) Martinum, nobilem Romanum, ſumma religione, & probitate virum Ferrariæ Epiſcopū à Vitaliano Pontifice Maximo electo anno à Virginis partu CCCCCCLVIII. deſtinatū fuiſſe. Huncq; locū, cui Ferrariolæ nomen erat, quaſi & ipſe futuram vrbis amplitudinem præſagiret, pleniori, honeſtioriq; nomine, FERRARIAM iuſsit appellari. Marinum tamen non ad BABILONICAM maſſam, ſed ad eam, cui Viguentiæ nomen, primum applicuiſſe nonnulli aſſeruerunt, cuius rei fidem ego penes lectorem relinquo. FERRARIAE autem auctæ, & magis, ac magis florenti vicini populi, & præcipuè Rauennates inuidere cœperunt, eamq; omni ſtudio peſſumdare curarunt. In eamq; varias incurſiones, impotente impetu, faciebant, quibus Ferrarienſes ne obuii eſſent, ad alteram Padi ripam, vrbem traducere decreue-

runt. Quare, oppido demolito, ac ſolo æquato, omnem materiam eò, quò ſtatuerant, veluti ad munitiorem locum, tranſuexerunt. Et quam nunc habemus vrbem, feliciſsimis auſpiciis, locare cœperunt. Huc verò, ob maximam agri fertilitatem, & ob iter, quod facile, & commodum flumina pariter, & paludes præbebant, ex variis locis multæ gentes confluxere. Quibus cum auctior eſſet populus, nobiliores, potentioresq́; nimia dominandi libidine, patriæ libertatem (ea. n. ſuis ſe arbitriis regebat) occupare adnixi ſunt. Et cum optimates in hanc curam incumberent, & altera pars alteri (vt in ciuilibus ſeditionibus fieri conſueuit) ſe ſe opponeret, alteraq́; alteri dominari ſtuderet, ea ciuitas, quæ ex vario diuerſarum gentium genere coaluerat, mutuaq́; ciuium beneuolentia ſic creuerat, vt ille hominũ cœtus, iure cõgregatus, veluti vnus totius vrbis animus, ciuitatẽ ſumma cõcordia regeret, oĩa retrò vertẽte fortuna, ſimultatibus, odiis, ac diſſẽtioĩbus flagrare cœpit. Et quæ ex Flaminia in Venetiã ſe tranſtulerat, vt externorum incurſiones euitaret, inteſtino, ac penè lætali morbo cœpit laborare, & ciuili bello labefactata, ac quaſi confecta fuit, Tyrannorum. n. impotens inſolentia, ac effrenata libido, tranquillam quietem, quam vrbi populus, conditis ſibi legibus, parauerat, non turbauit modò, ſed etiam penitus abſtulit, Cædis. n. & ſanguinis omnia plena erant, totaq́; ciuitatis facies mœſtiſsima videbatur, cum ſe ciuium ſuorũ mucronibus appetitã, eorumq́; telis, ad interitũ vſq́;, cõfoſſam videret. Quod cũ Prudentiores, qui nullarum erant partium, &

communi non minus quàm proprio bono ſtudebant, animad-uertiſſent, ſtatuerunt concitatas inter ciues turbas nullo vnquã ingenio ſedari poſſe, ni exterum quempiam in vrbem duce-rent, qui potentia, atque auctoritate vſque adeò polleret, vt ſeditioſi, timore perciti, animum deſponderent, ſeq; ad bonam frugem quandoquè reciperent, quo ſanè decreto Ateſtinos, Principes, qui nunc communi nomine Eſtenſes appellantur, ad id, quod ipſi prudenter animo conceperant, perficiendum, in ciuitatem vocarunt. Qui planè Principes, pro ciuium, in quorum ordinem fuerant cooptati, incolumitate diù, multumq; laborarunt, & grauia cum illis bella geſſerunt, qui mala re-gnandi cupiditate, atque inſolenti ambitione, vrbem, quæ il-los genuerat, aluerat, impiè vaſtabant. Et tandem, Ateſtino-rum Principum conſilio, & fortitudine, illa accenſa factionis fax ſopita fuit, ſuamq; priſtinam quietem vrbs ipſa recepit. At cum ciues etiam maximè timerent, ne, Principibus Ate-ſtinis abeuntibus, idem ignis accenderetur, cuius vi vrbs ipſa penè in cineres incubuerat; fieretq; priore valentior, Ateſti-norum tutelæ vrbem totam, felici ipſius fato, crediderunt, ſeq; illorum arbitrio volentes, ac ſcientes ſuppoſuerant. Qui Principes, veluti boni quidam genii è Cœlo diuinitùs lapſi, ad eam vrbem, quam in ſuam clientelam receperant, tuendãq; firmandam, augendam, ſuiſq; auſpiciis fouendam, ac nobili-tandam ſuſceperant, eo ſe animo conuerterunt, vt quam par-uam admodum, nec ſatis illuſtrem acceperunt, ſua cura ad hanc duxerint amplitudinem, quæ omnium oculis ſeſe offert

[Handwritten marginal notes: "Quare Atestini fue-runt vocati ad regimen Ferrarie"; "18."]

admirabilis, de quibus Principibus, pro eorum in patriam caritate, nostraq; in illos fide, ac obseruantia, sigillatim nobis, hoc in nostro commentariolo, pertractare proposuimus, quare ab eorum origine nostra initium capiet oratio.

DE ATESTINAE FAMILIAE INITIIS.

Atestini generis primordia nonnulli (vt ex Prisciano videri potest) primis, ac priscis illis temporibus, in quibus terrarum orbis, ab aquarum alluuione, qua submersus fuerat, ereptus est, accepta referunt, & vnum ex eis, qui ex Noa descenderunt, Atestinæ familiæ auctorem prædicant. Quidam verò iis temporibus, quibus, post Troiam à Græcis dirutam, Antenor, Illirico mari emenso, in Euganeis Patauium condidit, in Italia procreatos affirmant, aiunt. n. Marcum quendam illius comitem Atestinorum gentem progenuisse, ipsisq; Marchionis titulum ab eorum progenitoris nomine inditum fuisse. Marchionis tit. unde. A' nonnullis verò Actium quendam Germanum cum Vgone Imperatore in Italiam aduentasse, & Atestinos Principes produxisse creditum est. Alii in Italia ipsos apud Euganeos primum ortum accepisse affirmant. Alii etiam alia scriptis mandarunt. Quæ profectò auctorum, ac sententiarum varietas me adeò suspensum tenet, vt, quid asserendum sit, non ausim affirmare. Mecumq; statuo id de excellentissimis

Principibus nostris censendum esse, quod olim Græci de Homero statuerunt. Cum. n. Græcos homines lateret, quo loco summus ille Poeta natus esset, & quinque celeberrimæ Græciæ ciuitates tanti vatis ortum sibi cuperent vindicare, Cœlũ oẽs illi patriam ascripserunt, quod viderent immortalẽ illã animi vim nõ aliunde, quã è Cœlo, descendere potuisse. Sicq; etiam ego quó magis Atestinæ gẽtis amplitudinẽ mecũ animo complector, eam à cõibus mortaliũ initiis originem habuisse mihi vix possum persuadere. Hos. n. tot virtutibus ornatos, tot cœlestibus donis illustres comperio, vt Heroibus, ac priscis illis Semideis eos non iniuria conferendos arbitrer, quos olim tantis præconiis prisca illa celebrauit antiquitas. Nulla. n. in vniuerso Italiæ tractu gens extat, cui domus Atestina virtute, nobilitate, animi magnitudine, rerum cum domi, tum foris bello, paceq; gestarum gloria, non maximè præstet. Quamobrem ego plerumque in eam cogitationem venio, vt credam Atestinum genus (quod nostro in Hercule amplius lydis numeris explicauimus) à Prisco Hercule descendisse. Quod eò mihi magis vero proximum videtur, quò video ab actio, seu Azone Herculis filio, longa successionis serie, hac in familia Actios multos, seu tu mauis Azones, floruisse. Moxq; ab Actiis ad Hercules Atestinam ditionem, diuini numinis prouidentia, fuisse traductam. Quare illos, qui Atestinos Principes à Gallorum nobilissima familia originem duxisse tradiderunt, multò rectius, quàm alios sensisse semper existimaui. Scio. n. Herculem illum Priscum,

Humeri Lydij.

cum,

cum, quem tanti generis auctorem constituimus, Gerione deuicto, & Pyreneis montibus superatis, in Galliam profectum esse. Ibiq; Galatam Celtarum Regis filiam, corporis proceritate augustiorem, eaq; de causa Procos omnes aspernatam, vxorem duxisse, quód ipsa, Herculis virtutem admirata, illum tantum dignum iudicauerit, cui se matrimonio coniungeret, vt filios genitore, & matre dignos procrearet. Ex hacq; filium Galatem Hercules suscepit, qui, cum auo in regnum successisset (Hercules. n. ad Italiam ex Gallia discesserat) Celtas à suo noīe, L. litera voci addita, voluit Gallos appellari. Ab huiusq; semine Regias Galliæ familias exortas esse crediderim. Indeq; nobilissimam hanc Atestinam, quæ nunc inter alias Italiæ, quantumuis illustres, Principem locum obtinet, veluti é fonte, corriuatam non possum non arbitrari, illisq; assentire, qui præstantissimam hanc domum à praeclarissima Gallorum nobilitate oriundam testantur. Quòd si quibusdam hæc forté nimis alté repetita videbuntur, peto hanc mihi veniam dari, eosq; mihi non minùs æquos rogo, quod ad Herculem huius clarissimæ domus originem retulerim, quàm Liuio Romana fuerit antiquitas, quòd Martem Romuli, imperii Romani conditoris, progenitorem fuisse testatus sit. Quis vero primus ille fuerit, qui ex Gallia ad Italos accesserit, Atestinisq; Principibus auspicata initia dederit, tam longa temporum intercapedo mihi penitus ignotum reliquit. Quare eos, quorum aliqua notitiæ ratio ad nos peruenit, ea, qua cœpi breuitate, recensebo.

Galli um.

DE ACHARIO, FORESTO, EMA NVELLEQ. PRINCIPIBVS ATESTINIS.

Hic à quibusdam aliis auctoribus dissentit Lilius noster, Nam etsi alii, perinde ac ipse, tres istos Principes commemorant, non eodem tamen ordine ab vtrisque disponuntur. Ille.n. Acharium primum, Forestum alterum, tertium Emanuelem. Hi vero, ordine inuerso, Forestum primum ponunt, Emanuelem secundum, postremum Acharium. Huicq; à Vitaliano Pataui Regulo, Ferrariæ ad alteram Padi ripam traducendæ, prouinciam datam fuisse constanter affirmant. quod sanè, cum in cronicis nostris minimè reperiatur, in eadem, quã prius attuli, sententia permaneo. Quantum vero ad hos Principes attinet, in Aquileiæ annalibus res hæc de Foresto legitur literarum memoria digna. Cum miseris illis temporibus, quibus Attila, quem infamem illius seculi pestem meritò appellauerim, secundis successibus elatus Aquileiam, totis viribus, inuasisset, Forestus pro Italiæ libertate cum CCCCC equitum ala ad eam defendendam, & à barbarorum iniuriis vindicandam imperteritus accessit. hisq; equitibus aliis Italorum copiis coniunctis, cum infinito propè hostium numero magnis viribus pugnauit, qua sanè in pugna, acerba barbaris, ac cruenta clade illata, inter consertissimas acies, equo suffoso, viriliter occubuit, ãno salutis CCCC LII. cuius interitu Attila victoria, funesta tamen, ac lugubri,

potitus, vt barbarorũ militũ, quos Forestus strauerat, interitum vlcisceretur, Ateste, Montagnanam, Monsilicem, & Calaoniũ, Foresti oppida, incredibili, atq; imenso animi percitus furore, nulla sæuitiæ, ac crudelitatis specie prætermissa, funditus euertit. Hæc de Atestinis Principibus, vsque ad annum CCCCCCCCCXX. quo Albertus floruit, de quo mox agemus, Cronographi tradidere, necvlterius quicquã nostra dignum cõmemoratione, hactenus inuenimus. Sunt qui inter Forestũ, & Albertũ, Obiciũ ponãt, de quo cũ nihil Lilius scriptũ reliquerit, nihil nobis etiã de illo dicendũ superest.

DE ALBERTO .I.

In iis, quę ab antiquis scriptoribus, & veterum annalibus petenda sunt, multa eadem de re plerunq; tam varia, ac inter se diuersa legentibus occurrunt, vt lectorem animi dubium maximè efficiant. Nesciatq;, etiam si apprimè diligens fuerit, in quam partem inclinandum sit. Illudq; eò magis ipsum quoq; suspensum reddit, quò videt, hac tempestate, plerosq; omnes cõtradicẽdi potius, quàm veri inuestigãdi studio ductos, in alienis scriptis Lyncẽ, ac occulatißimũ Argũ agere, & si fortè vnũ, aut alterũ locũ offendãt, ĩ magno etiã opere, quẽ carpere poßint, reliquis oĩbus dißimulatis, veluti hac in pte Thiresia cæciores essent, in illis hęrẽt, illos damnãt, & in auctorem genuinũ ĩpudenter frãgũt. In has me Hercule difficultates, in hoc cõmẽtariolo scribẽdo, me hactenus incurrisse, sępiusq; etiã incursurum esse cognosco. Video.n. me ea pertractare, quæ à

temporibus nostris longissimis absunt annorum spatiis, & à veteribus hystoricis non satis diligenter tractata sunt. qua sane de re vel hic me monet, de quo nunc agimus, Albertus; cum à nonnullis Albertus, ab aliquibus Vbertus, à quibusdam Sigisbertus appelletur. Nec desunt inter hos, qui tribus filiis ipsum parentem fuisse, vnum vero' tantum patri superstitem affirment, alii vero duos. Quæ sanè res, ne maligno detractatorum liuori obiicerer, me & nunc, & in ipso scriptionis initio, à suscepto munere poterat deterrere. Ni ea, qua Lilius de rebus omnibus, quæ ad eruditionem attinent, scripsit diligentia, & domesticorum annalium nostrorum fides, illius scriptis assentire compulisset. Quare quæ illius breuissima continet Epitome nunc ego, iisdem prope' verbis, fidēter referam. Albertus, cui Vbertus cognomen fuit, anno à Virginis partu LCCCCXX. Comitis titulo, Ateste floruit, tresq; genuit filios, Vgonē, & Actiū mares, Valdertamq; fœminā, quam quidā Petro Cādiano Duci Veneto nuptam ferunt. Hactenus Lilius. Et quamuis dubius non sim hunc Heroica virtute claruisse, in Pontificia præsertim auctoritate (quod in omni successione Atestinis Pincipibus peculiare semper fuit) ab hostibus defendenda, tamen cum Lilius quicquam vltra non scripserit, ego etiam de hoc Heroe plura non afferam, Lectorem tamen monitum volo, Antonium Sabellicum, Valdertam, quæ Petro nupsit, non Vgonis, sed alterius cuiusdam Guidonis filiam fuisse, literis mādasse, quæ, ob affectatam à Petro Tyrannidem, infelicissima illi se tæ

da copulauit, cui ſanè ego eò libentius aſſentior, quò video Ateſtinorum Principum genus Dis immortalibus maximæ ſemper curæ fuiſſe, mihiq; perſuadeo illos nunquam permittere voluiſſe, mulierẽ probam, & à piis Principibus oriundã, impio viro, tam infelicibus auſpiciis, iungi, vt filius infans, quem illi peperiſſet, ob patratum à patre ſcelus, in illius vlnis gemens, ac vagiens, infinitis furentis populi telis confoſſus, vnà cum parente, miſerrimè concidiſſet.

DE VGONE.

Vgo Alberti filius valdè maiori, quàm pater, ditione potitus eſt. Nã præter Ateſte, & reliqua oppida, in quibus parenti hæreditario iure, Comitis appellatiõe ſucceſſerat, ab Othõe, Imperatore Germano, qui Berengarium Italia expulit, Mediolanenſem, ac Genuenſem Marchias (vt barbari vocant) propter illius in Re bellica præſtantiam, & ſtrenuam illi in bello operam præſtitam, Marchionis nomine regendas accepit. Ab hocq; Vgone multò ampliora imperii iura Ateſtini Principes habere cœperunt, &, vnà cum generis nobilitate, regnum magis, ac magis produxerunt. Et licet hic fortis princeps ſe in bellis nauiter gerendis acrem, & valde promptum præſtiterit, à pia tamen religione, cultuq; diuino minimè abhorruit. Quin, ob eam, qua erat, in ſuperos, mentem, Cœnobium, quam Pompoſiæ Abatiam dicunt, ampliſſimis redditibus locupletauit. Quam quidem rem quod extat

Imperatorium diploma testatam relinquit. Hic, nullis relictis filiis, rerum gestarum magnitudine clarus, excessit è vita.

DE ACTIO. I.

Magna semper fuit Atestinorum Principum in Italiæ amplitudine seruanda, tum cura, tum diligentia, magna ac veré pia in Romanam Ecclesiam, & in sacrosanctos Pontifices obseruantia, quòd religionem Christianam horum auctoritate maximè niti perspicerent. Et quoties Imperatores, malo spiritu ducti, impiis, & hostilibus armis Italiam, summosq; Pōtifices eo animo inuaserunt, vt illā subiicerent, & amplissimā max. principis dignitatem labefactarent, ipsi, pro Italiæ libertate, & pro veræ religionis cultu, nulla maiorum principum potentia territi, signis collatis, impauido pii, ac generosi animi vigore, cum illis confligere non dubitarunt. Qui Imperatores, cum, Atestinorum principum virtute, voto suo frustrati fuerint, in ipsos arma eo odio conuerterunt, quo Italię libertatem, & summorum Antistitum maiestatem conuellere conati fuerant. Primus autem Atestinorum principum, qui ob piam, & strenuam operam Italię, & Pontifici pręstitam Imperatoris iram in se conuertit, fuit hic Actius, qui Vgoni fratri anno CCCCCCCCCLXVIIII. in toto principatu successit, et in hāc familiā Actii, seu Azonis Herculis filii nomē auspicato inuexit. Hic cū Berēgarius III. Imperator Italiā, Pontificēq;, diri uoti impetu, ac īmenso ferini animi furore, bello lacesseret, pro Italiæ salute, & Pontificis inco-

lumitate, fratris viam ingressus, cum illo summa vi, pugnauit, felici Italię, ac Pontificis euentu. Quo quidem ausu Berengarius tanta in Actium ira incensus est, vt quicquid uiriũ, cõsilii, copiarum habebat, in ipsum conuerterit, nec in ditionẽ tãtum, sed in eius vitã, totus incubuit. Actius, vt iminẽs vitę periculum euaderet, potentissimi hostis furori cedere decreuit, et vnà cũ vxore vterũ gerẽte in Germaniã ad Othonẽ Saxonię Ducẽ se cõtulit, apud quẽ magna sẽp ipsius fuit auctoritas.

DE ALBERTO ACTIO.

Ex hoc parente Austrasię, Germanię oppidi, prognatus est filius, qui, aui, & patris nominibus simul iunctis, Albertus Actius dictus fuit, cui Heroicam corporis proceritatẽ, & augustã oris speciẽ natura liberaliter concessit. Adauxit autẽ singularẽ hanc corporis formã ingenita, ac præcipua animi nobilitas, quocunq; imperio digna. Hęc vero oĩa bellicę virtutis laude, & ĩmensę glorię cupiditate multò clariora, multòq; illustriora reddiderat. Quibus corporis, atq; animi dotibus Othoni primo Imperatori vsq; adeò carus fuit, vt cũ Dacię Rex (ea est regio quę nũc Transiluania dicitur) ea tẽpestate præclarũ belli simulacrũ (quod torneamẽtũ appellãt) cõstituisset, in quo nobilibus omnibus viris, corporis robur, atq; agilitatem hastis, & ense periclitari fas erat, de seq; specimen dare, Otho sibi Albertum Actium, inberbem adhuc, ad Martios illos ludos sibi socium delegit, quorum insigne Vnicornu aureum fuit, ceruleo campo depictum. eoq; in certamine Atestinus tam

præclarè se gessit, vt Othonis in se beneuolentiã maiorem in modũ auxerit, quo sanè Otho ductus amore illi Aldã filiã (Friburgi oppido natæ dotis nõie cõcesso) matrimonii vinculo copulauit. Primusq; Atestinorũ Marchio creatus est. Et cum Berengarius nouas in Italia turbas concitasset, Romaniq; in Pontificem suo more impetum fecissent, Otho Alberti Actii ope, & consilio (quod Areostus noster in Celta furente animaduertit) felici pugnæ euentu Berengarium vnà cum filio, fudit, ac fugauit. Hic ille est Otho qui Ioanni, XII. Pontifici Maximo luxui tantum, atque abdomini nato (ne vir omnibus vitiis inquinatus, tantæ maiestatis auctoritatem fœdè administraret) Pontificatum abrogauit. Habuit hic semper Albertum Actium consiliorum, omniumq; præliorum pariter comitẽ, qui quidem Actius ea Atestinorum oppida, quæ auiti iuris erant, ab Attila, Foresti tẽporibus, solo æquata, patrii regni amore excitatus, magna incolarũ lætitia, in pristinum restituit. Et cum ad ea loca incolenda, vnà cum vxore, Italiam petere peroptaret, illam à patriis laribus nulla ratione potuit amouere. Quare, Fulco, & Vgone ex illa susceptis, extremum vitæ diem in Germania clausit.

Albs. Actius p. Atest. Marchio.

DE FVLCO ALBERTI ACTII FILIO.

Alda Fulci, & Vgonis mater, Alberto Actio superuixit,

Othoniq;

Othoniq; parenti in Saxonum regno ſucceßit, vel quod ſic poſtremis tabulis Otho diſpoſuerit, vel quod Otho frater Imperatoria maieſtate potitus, id ſorori eiusq; filiis, propter egregia in Imperium Alberti Actii merita, vltro' reliquerit. Eos. n. qui Othonem Aldæ genitorem maſcula prole caruiſſe ſcripſerunt, deceptos fuiſſe ex re ipſa compertum eſt. Othonem. n. ſecundum prioris filium X V I. annis regnaſſe Cronographi omnes tradiderunt. Sed vt cunq; res ſe habeat, Fulcum Saxonum Imperio præfuiſſe, cum domeſtici annales noſtri, tum Areoſtus ipſe, in recenſendis Ateſtinis Principibus non indiligens, teſtatum reliquerunt. Mortua igitur matre, vna' cum oppido Erisburgo, Saxonum regnum ad Fulcum delatum eſt. cui & illa etiam oppida, quæ in Euganeis priſci Ateſtini poßidebant, hæreditaria ſucceßione debebantur. At Fulcus, ob ſingularem in fratrem amorem, materna hæreditate contentus, eam Vgoni fratri volens, ac lubens regendam, ac proprio iure poſſidendam liberaliter conceßit. Hacq; de cauſa Ateſtinorum familia, quæ ad ea vſque tempora tantùm in Italia floruerat, ad Saxonum etiam Principum ſtirpem propagandam, propè diuinitùs vocata fuit, vt tanti generis ſplendor, qui à Gallia proceſſerat, diúq; Italiã illuſtrarat, in Germania etiã mirificè eluceret. Qua ſanè de cã, qui rei huiuſce neſcii fuerunt, Ateſtinos ex Germania oriũdos ſibi perſuaſerũt, idq; etiã literarũ monumẽtis memorię prodiderũt, cum. n. Illos in Germania illuſtre illud regnũ habuiſſe cognouerint, eos ẽt inde ad Italiam

profectos, coniectura (mea sanè sententia) non satis recta, collegerunt. Sed iam quam nobis hæc Fulci narratio Atestinorum Marchionum mutationem interrupit, ea, qua cœpimus serie, repetamus.

DE VGONE .II.

Vgo secundus, Fulci frater, Atestinus Marchio anno DCCCCXCV. non minus paternæ virtutis, quàm Atestinæ ditionis hæres. Nec Othoni tertio minus, quàm primo eius pater, carus fuit. Nec minus piè, quàm ille, pro Pontificis auctoritate tuenda, pugnauit. Cum .n. huius temporibus populus Romanus, temerario quodam ausu, Gregorium quintum Pontificem Maximum, optimum, ac sanctissimum virum vexaret, Cresentiiq; Romani consulis impia auctoritate Ioannem XVII. Pontificem creasset, Gregorius Othonis Imperatoris, cuius opera ad Pontificiam dignitatem euectus fuerat, opem implorauit. Otho, potentissimo exercitu instructo, aduersus rebelles, Vgone comite, & magnæ militum Phalangis præfecto, magnis itineribus, hostium opinione celerius, Romam contendit, & cum Pseudo Pontifex, milesq; Romanus, & ad impetum sustinendum, & ad Imperatoriam aciem fugandam se parasset, Vgo, acri illo militaris animi ardore, quo maximè pollebat, hostibus superatis, victorem, ac voti compotem Imperatorem reddidit, Otho Crescentium, seditionis auctorem, qua humanas pariter, resq;

diuinas perturbarat merita morte mulctauit. Ioannes vero, oculis confoßis, patrati impii ſceleris pœnas luit. Gregorius autem, priſtinæ ſedi reſtitutus, accepti beneficii non immemor, quòd ſolis Germanis Imperatoris eligendi auctoritas eſſet conceſſa, Pontificio ſciuit decreto, quod hac etiam tempeſtate ſeruari videmus. Otho verò vt Vgoni, pro re magnificè, ac præclarè geſta, aliquã gratiam referret, Hetruriam vniuerſam illi regendam commiſit. Qua quidem in re Vgo ſic omnem ſuperauit inuidiam, vt cum extremus illi vitæ dies contigerit, natio illa omnis, cui ipſe moderator præpoſitus fuerat, non ſecus ac communis omnium parentis, ipſius funus lachrymis ſit proſecuta. Non ſum tamen neſcius auctores alios extare, qui id muneris, non Ateſtino Vgoni, ſed Andeburgenſi cuipiam datum fuiſſe tradiderunt, cæterum ego, aliorum auctorum ſcriptis innixus, à priori ſententia non recedo. Vgo autem, cum ipſum belli faſtidium cœpiſſet, à rebus bellicis ad Chriſtianam pietatem mentem, animumq; conuertit. Cœnobiumq; Vagadicenſe conſtruxit, & Actio, Obicioq; filiis ſuperſtitibus relictis, ex qua tamen matre mihi incompertum eſt, iam ſenex exceßit è vita.

Et ſi video me à propoſito non nihil tranſuerſum agi, tamen illud, quod Deus optimus maximus, ſcelerum vindex, huius Othonis, & Vgonis temporibus æquißimæ vltionis teſtimonium memorabile, & diuinum dedit, referre non grauabor. Silueſter natione Gallus, qui antea Gilbertus fuerat, & ab adoleſcentia, inter monachos adſcitus, nulla religionis ratio-

ne habita, quam susceperat personam impudenter deposuit, mox, immodica honorum ambitione ductus, religionis, ac omni veri numinis cultu posthabito, malodemoni, quem domesticum, ac familiarem habebat, ea pactione, vt summus Pontifex crearetur, se totũ dedidit, quod ille ipse humani generis hostis libenter admodum, vt id lucri faceret, pollicitus est. Et Ioãne XVIII. è medio sublato, id summę, ac sacrosanctæ dignitatis, ad quã virtus, ac pietas mortales ducere deberet, Siluester, qui secũdus eius nominis fuit, priori valde dissimilis, scelere, ac impietate est assecutus, nullo sane religionis, aut Põtificiæ auctoritatis detrimento (profanus.n. sacra non polluit) sed magno suæ improbitatis exemplo. Hic, vt omnia caueret, quæ sibi longissimum vitæ cursum, quem animo conceperat, possent intercipere, familiarem hostem, cuius ductu supremum dignitatis gradum assecutus fuerat, fidenter consuluit, vt quàm diù esset victurus exploraret, cui vafer, ac callidus demon, illum tam diù victurum respondit, quàm diù ab accessu ad Hierusalem abstineret. Hoc obliquo, & parum percepto lætus responso, Siluester æternam ferè sibi vitam pollicitus est. Hierusalem. n. nunquam proficisci secum statuerat. Cæterum quinto ab eo, quo Pontifex adoratus fuerat, anno, ædem crucis, rem sacram facturus, ingressus, vbi in eam venit ædis partem, quæ Hierusalem appellatur, animi dubius pedem sistit, vereq; Demonis respõsum interpretatus, extremum sibi vitæ diem aduenisse cognouit. Quare, vel imminentis fati timore, vel quòd ipsum sui

flagitii pœniteret, quam ſemper cœlauerat execrabilem culpam populo patefecit, vitamq; ſuam deteſtatus omnes, qui aderant, ad pietatem, & ad veri Dei cultum hortatus eſt, iuſsitq; ipſe, pro expiando ſcelere, corpus ſuum dilaniari, moxq; bigis imponi, eoq; in loco humari, in quo iugales iter ſiſterent. Corpore autem iugalibus commiſſo, nullo illos auriga regente, illi ad Lateranenſem Baſilicam profecti non vlterius progreſsi ſunt, quare eo in loco illius corpus ſepulturæ datum eſt. Quo quidem exemplo mortales omnes moneri poſſunt, qua pietate Deus colendus ſit, & qua diligentia à malorum Demonum conſuetudine ſit abſtinendum, quamq; illi ſemper vltorem Deum ſperare debeāt, qui impiè, ac flagitioſè domini gregem regendum affectant, ſed iam ad inſtitutum noſtrum reuertamur.

DE ACTIO .II.

Hunc miræ virtutis robur, & magni ſpiritus animū ad res bellicas attuliſſe quidā Cronographi tradiderūt, nihil tamē ego hactenus ſigillatī allatū vidi, quod ſcriptis mādem, quare illud tantùm referā, quod mihi exploratū ē. Hic Marchionū Ateſtinorū tertius M X X X I X. ſub Corrado Imperatore floruit, & ex Eliſabella, à Monferrati Marchionibus oriunda, Bertoldum, & Albertum filios ſuſcepit.

DE BERTHOLDO ACTII .II. FILIO

Mirū dictu ꝙ varia de Bertholdo varii ſcripſerint auctores,

quãquam inter ſe contraria, vnde tanta eſt veritati iniecta obſcuritas, vt quid de rebus ab ipſo fortiter geſtis, in vniuersũ narrandum ſit, vix auſim affirmare. Cæterum, inter tã varias, ac diuerſas ſententias, minimè dubium eſt, hunc, non ſecus ac maiores ſuos, Pontificiæ auctoritatis, & acerrimum religionis propugnatorem fuiſſe. Non. n. veritus eſt, pro ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ amplitudine, cum Auguſti copiis congredi, atque confligere, vitamq́; ac ditionem vniuerſam in diſcrimen ducere, vt res Pontificia incolumis ſeruaretur, Paſchalem. n. ſecundum, Pontificem maximum, ab Henrico IIII. Imperatore Auguſto, immaniſsima animi feritate, & totius religionis deſpectu impulſo, in carcerem coniectum, à Guelfo, Matildis principis præfecto, adiutus, generoſa pii ſpiritus virtute, in libertatem vindicauit. Barbaram .n. illam gentem, quæ eodem in veſtigio mori potiùs ſolita eſt, quàm pedem ad fugã vertere, non minus felici, quàm forti euentu, victrici dextra fudit, ac ferè cõtriuit, quod Henrico adeò graue, ac moleſtũ fuit, vt iræ ĩpatiens, ac furoris ſtimulis agitatus, in Bertholdi caput vires omnes ſuas conuertere decreuerit. Sed ipſa diuini numinis benignitas, quæ æquo lumine mortalia diſpicit, non tulit hominem pium, ac de vniuerſa religione optimè meritum iniquè vexari. Quin præpotentis, ac concitati hoſtis mentem ad ſtrenui Herois virtutem ſic contemplandam conuertit, vt hoſti ipſi fuerit admirabilis. Qua cognita, ſe iniquè agere exiſtimauit, ſi in eum ducem, qui ſacroſanctum Antiſtitem egregiè tutatus erat, violentiùs irrum-

peret. quare conceptæ iræ ignes deferbuerunt, & ab iniuria illi inferenda se prorsus abstinuit, consiliisq; inuersis, quem antea lacessiuerat Pontificem, coluit, ac veneratus est. Bertholdus Marchio IIII. MCII. Atestinis præfuit, filium Rhainaldum suscepit, &, perenni sibi nomine virtute comparato, naturæ concessit.

DE ALBERTACIO

Albertacius, qui Albertus Actius, & Albertus dictus est. V. Atestinorum Marchio tam bellica laude, quàm veræ pietatis gloria insignis, tantæ omnibus fuit admirationi, vt Matildē, mirabilis ingenii, et virilis animi fœminā, sancto matrimonii fœdere (quod Areostus in Celtu furēte testatus est) sibi iungere meritus sit. Hic filios tres genuit Velphū, Fulcū, Vgonē, quorū Velphus, & Vgo absq; prole decesserūt. Fulcus vero filios quatuor genuit, à quibus Atestinorū principū nobilitas ad longā posteritatē potuit propagari. hi autem fuerunt, Bonifacius, Obicius, Fulcus, & Albertus, quem postremum nonnulli nothum fuisse tradiderunt. Matildis.

DE RHAINALDO

Inter Rhainaldum, & Bertholdum filium quidam, præter Albertacium de quo iam diximus, Guelfum, Fulcum, Vgonem eo ordine Marchiones commemorant, vt Rhainal-

dus nonus in Atestinis Marchio numeretur. Verum, cum Lilius de his ne verbum quidem fecerit, ne à priori meo instituto discedam, illis penitùs ommißis, quæ mihi de Rhainaldo occurrerunt paucis explicabo. Hic, ne à Bertholdo patre, & à maioribus suis degeneraret, Pontificiæ potestatis auctoritatem, quanto maiore potuit nixu, tutatus est. Quare cum aduersus Alexandrum Pontificem maximum Federicus Aenobardus, eius nominis primus, genere Sueuus, & ingenio ferox, potentißimum exercitum parasset, & vastandæ Italiæ libidine flagraret, Octauianumq; Pseudo Pōtificē, qui, nomine, de more, mutato, Victoris sibi nomen asciuerat, ex dißidio, ac dissentione non ritè creatum, foueret, eoq; ad Alexandrum à sede deiiciendum vteretur, Rhainaldus belli peritia, atque animi magnitudine antiquis Ducibus comparandus, pro Alexandro Pontifice aduersùs Aenobarbum exercitum duxit, & cum imperatorii milites Aquilam nigrā in areola aurea effictam gestarēt, Rhainaldus iis, quæ ad ipsum superandum contulerat, signis Aquilam albam (quod postea Atestinis gentilitium fuit insigne) Cianeo colore circum ductam, imprimi voluit, & ea animi magnitudine, in hostem irrupit, vt anno MCLXX. uel (vt alii) MCLXXV. Imperatorio vexillo ab hostium manibus erepto, aduersam aciem fregerit, ac dißipauerit, Aenobarbumq;, Deorum immortalium, ac religionis spretorem, equo deiecerit. Qui circunstantium militum ope, mediis è telis ereptus, vix incolumis Ticinum petiit. Qui postea consilii

Aquila alba.

silii

filii inops, & omni victoriæ spe exutus; Venetias; quo Alexander primum se receperat; accessit; ibiq; pacis fœdera percusserunt, illis conditionibus; quibus & Alexandri victoris auctoritas; & sacrosanctæ Ecclesiæ libertas seruaretur; Haud ignarus sum historicos quosdam re, vt gesta fuit; commemorata, Rhainaldi nomen suppressisse; verum Ludouicus Areostus, cuius ego in re poetica virtutem semper admiratus sum, & illius diligentiam plurimi feci, lydis numeris, in Celta furente, Liliusq; meus sua hac in Epitome generosum hoc ac pium Rhainaldi facinus egregié ostenderunt. illorum auctorum scriptis innixi, quos veritati fauisse cognouerunt. Hic MCLIIII. Rhodigium, & Argentam oppida, pari interuallo a' Ferraria distantia, imperio suo adiecit, atque inter Italos omnium primus Accipitres cicures, Astures, & id genus Aquilas aluit, atque in delitiis habuit. Filium Actium superstitem, & totius ditionis hæredem reliquit, MCLIX. Atestino Imperio Arquadam, & Merendulam additas fuisse Lilius tradidit.

DE ACTIO .III.

Ipsa temporum antiquitas; & scriptorum negligentia, nihil mihi de hoc Actio, Rhainaldi filio, certi, aut explorati reliquit, quod veræ ausim asserere. Nã quãuis nonnullos legerim, qui huic multa præclara facinora accepta referunt, tamen cum congruam temporum rationem non adducant, illasq; res

gestas huic Actio tribuant, quas ab aliis huius nominis Atestinis principibus pfectas comperio (vt Fratæ castellum solo æquatum, & id genus alia) nolo incertis in rebns, & in ancipiti scriptorum sententia, fidem meam periclitari. Hoc tantùm igitur habeto. Hunc MCLXXV. tota in ditione patri successisse. filiosq; nullos, sibi superstites, reliquisse.

DE OBICIO. I.

Atestinorum principum virtus felicissima successione adeò in natos, & nepotes propagata est, vt summã semper in oẽs cõcitauerit admirationem, omniũ in se oculos conuerterit, omniumq; sibi beneuolentiam conciliarit. Quare qui rerum potiebantur, multum sibi ornamenti putabant adiungi, si, aliqua ratione, Atestinos principes ad se allicerent. Inter hos verò Obicius primus, Fulci filius, Federico Imperatori gratissimus fuit. Federico inquam illi, qui à Rhainaldo victus, contumaci animo deposito, in Ecclesiæ gratiam redierat, & eo, quo Obiciũ prosequebatur, amore ductus ipsum MCLXXXIIII. Genuensi, ac Mediolanẽsi Marchiæ (quas, Vgo primus regendas habuerat) honorificè præfecit. Mortuo vero Federico, qui dum se in flumine ablueret, quòd (vt creditum est) religioni infensus fuisset, vindicis Dei arbitrio, suffocatus est, Henricus, parenti Federico suffectus, non minus quàm pater Obicium amauit, & eum anno MCXCI. legitima Rhodigii iurisdictione donauit. Hic,

Rhodigium. {

ex Sophia coniuge, liberos quinque suscepit, Actium, Bonifacium, Obicium, Fulcum, & Albertum. Sunt qui huic Actium tantum filium fuisse testentur. Cæterum Lilius totidem, quot nos numerauimus, filios, illi adscribit, à cuius Epitomæ fide, hoc meo in commentariolo, hac in parte, nequaquam recedendum esse iudicaui.

DE ACTIO .IIII.

Hic Actius ille est, qui antiquam Atestinorum iurisdictionem, & Piceni dominatum adeptus, omnium primus ad concitatas ciuium turbas, & ad ingruentes seditiones sedandas, Tyrannorumq; audaciam retundendam, à Ferrariensibus illis; qui totius vrbis quieti; atque incolumitati studebant, ex Ateste Ferrariam vocatus fuit; cuiq; veluti pub. vtilitatis adsertori; probiores ciues totius ciuitatis regimen; ac moderationem tradidere. Ab hocq;, seditiosis quidem aduersantibus, sed Dis superis benè annuentibus, vrbis nostræ nobilitas, atque incrementa initium habuerunt. Hunc inter eos Atestinos, qui Ferrariensi ditioni præfuerunt, Hercules .II. (cuius virtute, ac consiliis, inter tot bellorum discrimina, ac potentissimorum principum odia, nunc quiete fruimur tranquillissima) iis in ædibus, quas regias in Copæ Aureæ vico, maximis sumptibus, erexit, summa cura, ex figura ab aureo nummo desumpta, magistra pictoris manu, regio proceri corporis habitu, grauissimaq; oris specie pingi cura-

uit, vt illi tot iam ſeculis extincto, eam, quæ à gentili gratiſsimo præſtari poteſt, gratiam rependeret, & perpetuum eius virtutis teſtimonium reponeret. Huic autem Actio ſolers, ac viuax fuit ingenium, laboris patiens, & ad omnia militiæ munera valdè promptum, quæ ſanè omnia eximia quædam corporis vis, & exquiſita rerum bellicarum peritia multò reddiderant clariora. Quibus virtutibus, cum apud omnes gentes, tum apud Ferrarienſes, magnam ſibi gloriã, ac magnum decus pararat. Quare cum Salinguerra maior (duos. n. hos fuiſſe Ferrarienſi populo infenſiſſimos, domeſtici noſtri annales, teſtantur) præcipiti furore, ac impotente conatu, omnes effrenata libidine ſibi ſubiicere adniteretur. Videretq́; Actium ad ciuium iura tutanda, & ad uniuerſam ciuitatem moderandam à patribus vocatum, ſibi, ac viribus ſuis, cœpit diffidere. Quare Ecelinum, cognomento Monachum, eò quòd vltorius Dei metu perculſus, poſt patrata ſcelera, cuculatus religioni ſe addixerat, excerabili ſemine ab Ecelino Balbo prognatum, eo, quo erat inimico in remp. animo, ſibi adiunxit, eumq́;, quò firmior inter ipſos eſſet fidei nexus, affinitatis ſibi vinculo coniunxit. Hoc verò affinitatis iure, inter vtroſque Tyrannos firmato, Ecelinus, vt ad eiiciendum Ferraria Actium Salinguerram potentiorem redderet, nihil intentatum relinquebat, quo ſe voti compotem futurum ſperaret. Interea Veronenſes Prætorem ad vrbis tutelam creare curabant, cuius virtute, atque auctoritate vniuerſus populus regeretur. Hic Ecelinus

in Euganeis admodum potens, & effrenata sæuitia formidabilis. Quicquid vel ingenii, vel potentiæ, vel auctoritatis habebat, in re tractanda, atq; ambienda, summo studio, posuit, vt id dignitatis Salinguerræ, nõ Actio deferretur. Verũ, vt Ecelini crudelitas probis oĩbus terrorem incutiebat, ab illoq; omnium animos auertebat, ita Actii virtus, ac prudentia, inuiolataq; animi integritas omnes ad illum amandum cõuertebat. Quare quibus artibus se Ferrariensibus dignũ præstiterat, cui totius ciuitatis summa committeretur, iisdem etiam Veronenses induxit, vt Salinguerra reiecto, suæ fidei, ac virtuti MCCVII. se totos darent. Ecelinus autem, voto frustratus, ad id quod ambiendo nõ obtinuerat, dolo consequẽdũ mentẽ conuertit. Et cum Veronæ improbi non deessent, qui Ecelini sceleribus fauerent, ipse, & Salinguerra, illorum auxilio, Veronam noctu, cum omnibus copiis, ingressi Actium vrbe expulerũt, dignitateq; spoliarunt. Sed victoria illa, fraude, doloq; parta, non diù Ecelinus gauisus est. Nam fortuna, quasi illam iniuriæ Actio illatæ puderet, viam illi patefecit, qua de Ecelino, & aliis hostibus vindictam sumeret. Cum. n. ipse ad hostem debellandum, ingenti militum manu coacta, Veronam accedere vellet, Ecelinus acie instructa, in Agro, cui dicitur Labrara, hosti ferocissimus occurrit, & cum collatis signis, diù, multùmq; pugnatum esset, tandem attritis Ecelini copiis Actius, non minori virtute, quàm felicitate, ipsum cepit: quem cum aliquantùm in custodia tenuisset, magis regium putans ignoscere, quàm

} Actij 4 clemen-

punire, victoria contentus, acerrimum hostem incolumem dimisit. Illiq; equites suos Cassianum vsque comites dedit. Quo sanè facto, strenuus, ac magni animi vir se non pro sanguine, & vita, sed pro decore, ac gloria decertasse pulcherrimè ostendit, pristinæq; dignitati restitutus Veronam rexit. Huius præclari facinoris fama, Actii gloriam adeó auxit, vt cum Siciliæ, Romanorumq; etiam Rex in Germaniam reuersurus esset, Innocentius Pontifex maximus, magno cum equitum numero, ipsum illi comitem dederit, quó Rex tutior, in Germaniam se reciperet. Actius, vbi inde reuersus est, ex hac infelici ad felicem vitam euolauit. Huic Sabaudiæ Comitissa quatuor filios genuit. Aldrobandinum, Constantiam, Actium, & Beatricem, quæ cum, nulli hominum iuncta, religioni sese addixisset, & in Gemulæ monte, monasterium condidisset, vnàq; cum castissimis virginibus sanctissimã vitam duxisset, ex corporis nexu soluta, et in Dearum cœtum relata, se ab alta cœli sede mortalibus non minus miraculis illustrem prodidit, quàm claram pudoris obseruãtia, ac vitæ sanctimonia, se, dũ viueret, ostenderit. Huius sanctissimæ virginis vitam, latino, & vernaculo sermone descriptã; mihi legendam dedit Hyppolitus Lollius, vir optimus, ac Cæsarei, Pontificiiq; iuris consultissimus, & veteris amicitiæ iure mihi coniunctus. Hic veró Actius priore vxore, quę tot illi filios pepat, extincta, Marchesellam, Adelardi filiam, Gulielmi neptem, sponsam sibi delegit, quæ cum viuere desiisset, eius ex Asse, Actius hæres fuit, qua hæreditate Ate

Huius ego Beatricis uitam è Latino in Etruscu sermonem conuerti.

ſtinorum fortunæ magnum acceperunt incrementum. Obiit autem Actius MCCXII. cum annis XVI. regnaſſet, perenni nominis laude poſt ſe relicta.

DE ALDROBANDINO .I.

Aldrobandinus Ferrarienſium Princeps. II. magni, ac generoſi animi iuuenis, & in bellis gerendis cum Acer, tum fortis, paternæ virtutis ſplendore excitatus, eum, nobilium operum æmulatione, ſuperare conatus eſt. cuius, non ſimulatæ, ſed veræ gloriæ decus Federicus ſecundus admiratus, eũ in omni ditione confirmauit. Hic diu cum Patauinis, multis datis, atque acceptis cladibus, fortiter pugnauit, mox fœdere percuſſo, & pace cum illis inita, ad maiora ſeſe conuertit. Nam cum ea, quam Pontifex parenti Actio dederat, Piceni iuriſdictione priuatus eſſet, ad eam recuperandam, ſe totum dedit. Erant hi ab Innocentio. III. Pontifice maximo, quòd à Romani Pontificis poteſtate eam prouinciam, Tyrannico dominatu, abduxiſſent, ſacris interdicti, ac diris damnati, cum aduerſus eos Aldrobandinus caſtra mouit. Celani comites, viribus omnibus ſuis in vnum collatis, ſeſe Aldrobandino oppoſuerunt. Aldrobandinus religionis ſtudio, & præſentis animi magnitudine incenſus, inuita licet, ac reluctante fortuna, impios homines, qui Eccleſiæ iura violauerãt, & ſacroſanctam Pontificis, maieſtatem neglexerant, non ſine diuino numine, illorum improbitatis vltore, magna vi fudit,

ac fugauit. Et quæ illi dolo malo oppida occupauerant, ad Pontificis potestatem reduxit. Quare summus Pontifex speciosa illa iuuenilis, atque inuicti animi indole allectus, totius Piceni oppida illi, sub Marchionis titulo, MCCXIII. regeuda, ac moderanda concessit. Celani vero Comites quorum vires attritæ fuerant, & prorsus confectæ, quem armatum horruerunt, inermem interimere tentarunt, & quod vi, & armis palàm assequi non potuerunt, clàm insidiis, & dolo perficere procurarunt. Erat apud Aldrobandinum familiaris quidam, quem ipse syncera, ac incorrupta fide præditum arbitrabatur. Sed cum esset pecuniæ auidior, quàm probum, fidumq; virum deceat, illum largitionibus Celani comites corruperunt: perfidoq; venenum obtulerunt, quod hero propinaret. Patrauit impius paricida scelus omnium atrocissimum. Nimisq; crudeli docuit exemplo, quàm cuique non sit temerè Principibus fidendum. Ille igitur, qui ob animi fortitudinem, cæterasq; præstantes virtutes senectutis annos implere dignissimus erat, hostium malitia, familiarisq; improbitate, iuuenis admodum, & in ipso gloriæ cursu, in cautus veneno interceptus est. filiam vnicam Beatricem superstitem reliquit, quæ anno MCCXXXV. Andreæ Panoniorũ Regi nupsit, quo MCCXXXVI. mortuo, filium Posthumum peperit, á primo Panoniorum Rege, Stephanum vocatum, quo suscepto, Beatrix viro orbata, & ob illius præproperum interitum illarum regionum pertesa, ad suos in patrium solum se recepit. Non desunt qui, cum

Ah proditor.

Areosto

Areosto nostro, literarum monumentis memoriæ prodiderint Aldrobandinum Innocentio. IIII. Pontifice maximo suppetias tulisse. Fratremq; Actium Florentinis pignori dedisse, ab eisq; tantam nummorum vim accepisse, quanta ipsi ad Imperatorem Augustum, Pontificis fortunas, ac dignitatem acerrimé lacessentem, Italia pellendum sat erat, eoq; ingenio victoria potitum fratrem postmodum non sine magna nominis gloria recuperasse.

DE ACTIO. V.

Quó magis Principum nostrorum res fortiter, ac sapienter gestas animo, complector, eo' magis mecum statuo Atestinam familiam, ab Hercule Iouis filio originem traxisse. Nam cum, in eorum factis recenscendis, mihi toties occurrat, hos Excellentissimos Principes pro Dis Immortalibus, pro aris, & focis, pro religionis nostræ incolumitate, pro Pontificum salute aduersus impios homines acerrima bella gessisse, videor mihi sané videre tot Hercules de impiis Gigantibus triumphos ducere, cùm vero' immanissimos Tyrannos eorum ingenio, ac virtute sublatos comperio, hac etiam in re Herculeum robur, ac sapientia mihi sese offert, quibus Atestini Heroes, pro humani generis salute, tot immania monstra confecerint. Hoc etiã eo' magis psuasum habeo, quó Atestinos Actios (quos ab Actio, seu mauis Azone, potentissimo Herculis filio nominatos prędiximus) eó

illustriores, ac fortiores inuenio, quò Principibus illis proximiores fuerunt, qui vnà cũ nobiliũ titulorũ accessione, totius etiã imperii pomœria magis propagarunt, vt in hoc Actio erit videre, de quo mox acturi sumus. Hic Aldrobandini frater, & Actii quarti filius, Actius, Actiolinus, & Actius nouellus dictus est. & penè impubes MCCXIII. magno patrum, ac populi applausu, atque acclamationibus Ferrariensium Princeps tertius creatus, simulq; Piceni præses in demortui fratris locum suffectus fuit, qui non priùs quieuit, quàm iustis armis illatam fratri cædem vltus, de Celani comitibus, & de omnibus sceleris consciis dignam patrati criminis pœnam sumpserit. Quare Honorius. III. Pontifex maximus non adũbratam, sed veram virtutis speciem in optimo adolescente miratus MCCXX. ipsum Anconæ, Asculi, Aesisii, Senogallicæ, Firmi, Pisauri, & Forisempronii Principem constituit M. vero CCXXI. omnes causarum prouocationes, quæ Taruisii, Veronæ, Patauii, Vicentiæ, Tridenti, Belluni ad Imperatorem attinebant à Federico. II. cognoscendæ Actio delatæ sunt. Cupiebant. n. (quod iam diximus) omnes, qui rerum summa potiebantur, pro eorum commodis augendis, & auctoritate, Imperioq; tutando Atestinorum Principum beneuolentiam. Hi verò, cum sua etiam maximè putarent interesse, potentissimorum hominum animos sibi conciliare, nullam prætermittebant occasionem, qua & ipsi, vel vltrò oblatam Principum gratiam grato animo amplecterentur. Cęterum

homines pii, & religionis obseruātissimi rem diuinam semper omnium Principum gratię, & omnibus suis commodis prętulerunt. Hac de causa, etsi Actius Federico gratissimus erat, tamen, cum ipse ad rem Pontificiam turbandam, impio admodum animo, omnes suas vires conuertisset, Actius actutum ab ipso animum alienauit. Maluit enim hominibus, quantumuis potentibus, quàm Dis superis, displicere. Hoc animaduertens Federicus, simulatę beneuolentię prętextu, illum capere studebat. Verum, Actii prudentia, voti compos minimé fuit. Ipse. n. ingenio ad insidias vitandas apprimè callido, Imperatorii animi latebras scrutatus, & insidiis pręcognitis, se ad sancti Bonifacii oppidum tempestiuè recepit. Cum vero' interea Salinguerra, imperatoriis armis fultus, Ferrariā occupasset ciuesq; à Pōtifice ad Imperatorē deficere fecisset, Georgius Monslungus, cū Pōtificiis copiis ad eam recuperandam accesserat, verùm semper id frustra ab ipso tentatum fuisset; ni Actius; qui cum Pōtifice in officio; & fide permanserat; illi pręsto' fuisset. Hic. n. Frata; Salinguerrę Castello, cum turribus; & priuatis domibus funditùs demolito, totam aciem aduersùs Salinguerram conuertit, eumq; cœpit, Ferrariamq; à Tyranni manibus exemit. Qua quidem opera strenuè nauata, Gregorius. IIII. grati animi ergo', Ferrariam, Ecclesię nomine, Vicariatus titulo, regendam illi concessit. quo deinde in munere, ob illius integritatem, & summam in regēdo imperio moderationem. MCCXLIII. ab Inno

Ferraria Vicariatus tit. Actio ab Ecclesia concessa.

centio. IIII. cõfirmatus fuit. Interea Federicus Cæsar Parmam sæuissima obsidione premebat, resq; eó discriminis deducta erat, vt nihil, vel parũ spei Parmẽsibus reliquũ esset. Actius, qui obsidionem fortiter sustinuerat, (Parmensium. n. copiis præerat) remq; omnem in angusto positã videbat, vel Parmam obsidione liberare, vel in consertissimas hostiũ turmas fortiter occumbere decreuit. Quare occasione arrepta, ex vrbe tacitus exiens, nocte intempesta, in Germanorum aciem impressionem fecit. eaq; penitus fracta, ac dissipata; parum abfuit, quin Imperatorem caperet, in hostiumq; potestatem procul dubio venisset, nisi noctis beneficio ab hostium manibus se in tutum recepisset, á qua me Hercle incertum est plus ne damni acceperit, cum fractæ illius copiæ fuerunt, an opis, cum, illius tenebris, ac caligine fultus, imminens periculum euitarit. Actius veró, castris captis, & vrbe graui illa obsidione liberata, Leones, qui in Imperatorio exercitu fuere, ex vniuersa præda sibi in sortẽ dari solùm optauit. Eosq; pro victoriæ insigni, Ferrariã misit, qui in ea vrbis parte (tunc autẽ suburbiũ erat) adseruati fuerunt, quæ nũc etiã nomen ab illis obtinet. Magnum sanè fuit, ac verè regiũ, quod expressimus Actii factum, sed hoc omnẽ humanæ admirationis modum excedit, quod hoc loco enarraturi sumus, quo sanè palàm fiet Actiorum Atestinorũ nomẽ Ecelinis duobus fatale fuisse. Ob captũ Salinguerrã, et Ferrariã Actio á Põtifice traditã, inter Actiũ, & Ecelinũ tertiũ, Ecelini secũdi filiũ, magna odia, et magnę vigebãt inimicitię. Hic. n. tertius, ab

Vicus Leonis.

oppido, quod in Euganeis est, de Romano dictus, parēte sæuis
simo tāto' sæuior, ac truculētior fuit, vt ipsū, ad humani gene-
ris perniciē, ab imis Erebi lacubus, ad superos accessisse credi-
tum sit. Hoc vero Nephas, quo nulla lues; nulla pestis, aut fœ
dior, aut īmanior excogitari pōt. Hoc inquā Nephas, Patauii
terror, & totius Italiæ clades; nihil magis auebat, quā Actii
sanguine, quē diu sitiuerat, satiari. Sed Deorū īmortaliū di-
spēsatiōe lōge' aliter euenit. Nā cū Ecelinus, misero, ac fune
sto audaciæ exitu, pro Imperatore Mediolanensibus bellū pa
raret, in eum Actius Pontificiæ dignitatis adsertor, cum
omnibus copiis vi ardentis; atque impauidi animi impulsus,
sociis Vberto Palauicino, & Bosio Douerio, irrupit; &,
veluti alter Hercules, indomitam feri monstri rabiem; eius
exercitu dissipato, sic attriuit, vt ferocissimus hostis turpi,
atque inhonestæ fugæ terga dare coactus fuerit. Sed cum
Actius vrgeret; illeq; nullum effugium inueniret, fessus, at-
que animo consternatus se hosti dedit, qui mox sub Bosii
Douerii custodia Socinū ductus, anno MCCLIX. vnde-
cimo postquā captus fuit die, ex vulnere illi, qua pedi iūgitur
talus, à tragula, vel (vt alii) à sagitta, à valido scorpione emis
sa, illato, & tribus ab Actio mortiferis plagis in caput accep-
tis, septuagenario maior exacerabilē aīam miserrimè exhala-
uit. Sicq; Actii virtute īfame hoc mōstrū triginta trib. hoīum
milib. quos, tererimo mortis gñe īmani sæuitia mactauerat, ve
luti victima q̄dā, expiatiōis gr̄a iugulata, iusta ꝑsoluit. Ille .n. q
tot mortalib. inauditas cœdes intulerat, tot oppida vastauerat,

& à stirpe propemodum euulserat, tot vrbes eueterat, corpore, & animo eger, captiuus, inter vulnera, & dolores inedia consumptus, ad oras stygias, vnde ad nos venerat, furens, ac gemens descendit. Actius vero qui omni in bellico negotio, & prudens, & maximè pugnax semper apparuit, cum annos L I. regnasset MCCLXVI. mense Feb. ex hac corporis custodia ad paratam sibi inter cœlites sedem euolauit. Tanta vero imperii æquitate, moderatione, clementia, populariq; humanitate Principem egerat, & innata quadam benignitate hominum animos sic sibi deuinxerat, vt in eius funere (quod Ricobaldus, vrbis nostræ historicus non indiligens, testatum reliquit) nec alterius factionis ciues a' gemitu, & lachrymis potuerint abstinere. Hic (vt Lilius refert) filios duos suscepit Rhainaldum, ac Beatricem, quæ cum se Deo perpetua virginitate dicasset, in diui Antonii Cœnobio inter sacras virgines clausa, mortali corpore soluta, miraculis claruit. Sunt qui, præter superius commemoratos, duos etiam Actio filios adscribant, Actium, & Constantiam, quos omnes alii ex Beatrice Apuliæ Regis, alii Antiochiæ Principis filia, ortos asserunt; quæ cum mihi non satis perspicua sint, in medium relinquo.

D. Beatrix.

DE OBICIO .II.

Hunc Obicium, quem indole liberali; ac planè regia, vul-

tuq; ad lenitatem magis, quàm ad seueritatem composito, quartum Ferrariensiũ Principem in Copæ aureæ Aula pi ctum videmus, Rhodulphus Cæsar in omni maiorum suorum ditione; primum MCCLXXVI. Iterum verò MCCLXXXI. apud Norembergum Cæsareo di plomate confirmauit. Quæ sanè Imperii iura, ea felicita te, suscepit, vt illa non modò seruauerit, sed Mutinensem etiam, Regiensemq; ciuitatem, sua virtute, illis addiderit. anno .n. MCCLXXXVIII. XVIII. kl. Ianua rii eum sibi Principem Mutinenses, maximo omnium con sensu, delegere. Et ciuitatis Episcopus, vnà cum Lan franco Rhangone, & aliis vrbis optimatibus, totius populi nomine, illi Mutinæ claues obtulerunt, cui Marchio Comi tem annellum, sibi necessitudine coniunctum, Prodominum reliquit, quo die Manardus Manardius diem suum obiit. à quo Ioannes Manardius vir spectatæ probitatis, & tum in Medicina, & Philosophia, tum in omni literarum genere, quæ vel Græcè, vel Latinè colantur; egregius, originem duxit, quo sanè docente, ego Hippocratis, & Galeni viã ingressus, in Philosophorum, Medicorumq; collegium co optatus fui. Cum vero MCCLXXXIX. Obi cius Mutinam se contulisset, pro dominatu stabiliendo, Al drobandino filio. IIII. Non. Ianuarii Aldam Tobiæ Rhangonis filiam matrimonio copulauit. Mutina autem ad Obicium delata, Regii Lepidi ciues, huius Principis virtute, ac prudentia allecti, ad ciuitatis Principatum

Obicius II. à Mutinen. in Prin electus.

Regiu Obicio traditum.

MCCXC. Idibus Quintilis vocarunt. Harum duarum vrbium accessionem Veronenses, Mantuaniq; ægerrimé tulerunt, quare liuore, atque inuidia ducti in Obicii ditionem, magna cum militum manu, extempore irruperunt, quorum impressionem Obicius non modo magno animo, magnaq; virtute sustinuit, sed eorum copiis fusis, ac fugatis, illatam sibi iniuriam viriliter vltus est, bellisq; omnibus solerti ingenio, & rerum regendarum peritia sedatis, omnia imperii iura, successori tranquilla reliquit. Ferrariensi autem Repub. sub Obicio florente (vt Lilius, & domestici nostri annales tradiderunt) MCCLXXXII. vel quod alii dicunt LXXXVIII. in agro Ferrariensi, cui nomen VALLIS DE AQVA, quædam salutaris vnda, é terre visceribus dies, noctesq; effluens, lacum confecit, quem GATVLAM appellarunt, cuius sané aquæ virtute, illi diuinitùs infusa, cuiuscumque generis infirmi pristinam salutem recuperabant. ad quem locum varia hominum genera, tanta frequentia; confluxere, vt eo die, quo diui Ioannis Baptistæ solennia sacra celebrantur, (eo.n.festo die ægris vnda salutaris erat) ibi XXX. hominum milia fuerint reperta. Inualuerat autem opinio Beatæ Annæ sepulchrum eo in lacu delitescere. Quo lacu postmodum ad imas telluris partes, vnde effluxerat, reuoto, arbitror, in rei illius memoriam, eam, quæ Ferrariæ nunc extat hospitalem sanctæ Annæ domum, pro infirmis curandis, erectam fuisse. Illustre igitur Obicii felixq; imperium,

Gatula.

perium, hoc ſaluberrimo lacu cœleſtia numina multò etiam illuſtrius, ac felicius effecere. Hic duas duxit vxores, alteram Iacobam Fliſcam, fœminã lectiſ. Adriani. V. Pontificis maximi neptem, quæ illi liberos genuit Actium, Rhainaldum, Franciſcum, Aldrobandinum, & Beatricem de qua varia à ſcriptoribus tradita ſunt. Eam. n. nonnulli virginem Galeacio Vicecomiti Mediolanenſium Duci matrimonio iunctam aſſerunt MCCCVIII. kl. Iulii, Nonnulli verò (vt Dantes Aligerius, & Priſcianus noſter libro hiſtoriarum VIII.) Nino Comiti, Sardiniæ inſulæ iudici, primùm, dein, illo extincto, Vicecomiti nupſiſſe literis mandarunt. Non deſunt etiam, qui hanc non Beatricem (quod Merula ſcripſit) Sed Agnetem appellarint, qua quidem in re Priſciano, annalibusq; noſtris fidem adhibendam procul dubio cenſeo. Sunt etiam qui Rhainaldum, & Franciſcum ſpurios dicant, quod ego nec aſſero, nec reprobo. Alteram vero Conſtantiam Alberti Scaligeri Veronenſiũ domini filiam MCCXCIX. decimoſexto kl. Ianuarii. Deceſſit Obicius die Saturni XV. kl. Martii, MCCXCIII. ætatis vero ſuæ XLVI. cum annis XV. feliciſſimè regnaſſet. Non ab re me facturũ arbitror ſi in extrema hac Obicii vitæ parte, Lamberti Bacilerii Bonon. Nicolai filii, ĩportunũ, ac Nephariũ in Obiciũ facinus paucis cõmemorauero, vt principes, alieno exẽplo cautiores, maximè ſibi cauẽdũ cognoſcãt, maximaq; vtãtur cura, ac diligẽtia ĩ familiarib. deligẽdis. Hic Lãbertus, cũ aliis domeſti-

cis cōmixtus, Obicio, dum pransurus accumberet, propior factus, stricto pugiõe, manu prõptissima, eadẽq; scelestissima, dicto citius, in illius faciem de improuisò vulnus intulit, paruum illud quidem, sed magnam percussoris audaciam præ se ferens. hoc viso, Actius Obicii filius, & omnes, qui aderant ciues, ac familiares, arreptis ensibus, in percussorem è vestigio impetum fecerunt. Cæterum illis Obicius, faciem sanguine fœdatus, sese opposuit, quo minus illum interficerent. Eum. n. in Eculeum mitti iussit, vt quo impellente, quaue de causa id factum esset, fateretur. Cæterum ipse diu, & grauiter tortus, se nullius iussu impulsum, nulla spe ductum, non meditato, aut cogitato scelere, sed repentino, ac temerario quodam furore percitum, id patrasse fassus est. Quod cum minimè crederetur (neque. n. credendum erat) iterum, atque iterum interrogatus, non minori constantia, quàm fortitudine (modo in scelere fortitudini locus sit) eadem semper in sententia permansit, nec in acri, & longa quæstiõe, preter dicta quicquã aliud vnquã respõdit. At improbi hõis pertinax, atq; obstinatus animus, haud quaquam fecit, quin sententia in ipsum lata, quatuor Asellorum caudis alligatus, totam per vrbem tractus, & à carnifice cruci tandem appensus meritas, illiso guture, pœnas acerbissimè lueret. Hic igitur eos principes, certissimo argumento, non imprudẽter agere docuit, qui neminẽ ense, vel pugione accinctũ, ad se familiariùs admittũt. Quãdoquidem mutabilia sunt hominum ingenia, & inter mortales non desunt, qui animo

Audacia mirabilis.

adeó impauido sint, & vitæ adeò prodigi, & contemptores, vt, modò voti compotes fiant, quodcunque animo conceperunt, intrepidé audeant, quod vel ex hoc liquidò cerni pōt, quē nec sācta familiaritatis iura, nec dignitatis reuerentia, nec Principis auctoritas, nec assistens parenti filius, nec familiariū corona, qua Obicius septus erat, nec imminens atrocissimæ necis periculum á scelere patrando repellere potuerunt.

DE ACTIO. VI.

Qui alter ab Obicio parente, multa canicie verendus, eodem in loco pictus videtur, Actius est sextus, eodem die, quo pater viuere desiit, à S. P. Q. F. Princeps quintus salutatus, & Piceni totiusq; paternæ ditionis Marchio constitutus. Hic necessitudine sibi coniunctos hostes habuit, qui, cum Mantuanis, Veronensibus, Brixiensibus coniurati, Melaria, & Stellata direptis, atque igni consumptis, Casaliaq; populata, & armentis omnibus abactis, multa illi damna, & maxima intulerunt. Quæ mox ipse, classe instructa, & valido exercitu comparato, strenuè admodùm vltus est. Ostiliam. n. oppidum igni consumpsit, Seraualem expugnauit, suburbia incendit, turres diruit, pontes euertit. Moxq; Veronam, eadem in expeditione, iisdemq; copiis, acri cinctā obsidione, superauit. Et naui oneraria, cui, ob ingentem magnitudinem, Reginæ nomen erat, vnà cum duabus aliis minoribus, præda onusta, victor, & exultans Ferrariam

reuersus est. Quos verò proditores cœpit, abscisis ceruicibus, plecti iussit. Hunc Romanæ militiæ præfectum (quem vexilliferum vocant) á Pontifice maximo delectum Areostus noster in Celta furente, memoriæ commendauit. Hunc Cremonenses, vt Matthei Vicecomitis, infensissimi hostis, furorē retunderent, sibi dominum asciuerunt. Seq; ipsos, suaq; omnia illius fidei, paribus votis, commiserunt. Quos ipse prudenti consilio, & pugnaci dextra, egregiè tutatus est. Duas hic vxores habuit; alteram Ioannam Vrsinam, alteram Beatricem Caroli Neapolitanorum Regis filiam, á quo anno MCCCV. *Atriam vrbem dotis nomine accepit. Vxorem vero* MCCCVII. *vel (vt Priscianus refert)* MCCCV. *mense Aprili Ferrariam conduxit. Connubium hoc Rhainaldo, & Francisco, Actii fratribus, & nepotibus ex fratre Aldrobandino supra quàm dici possit, graue, ac molestum fuit. Cum. n. Obicius iā senior ex Ioanna prolem nullam superstitem haberet, in regno ipso extincto, se illi successuros sperabant. Verum enimuerò cum noua hac vxore superinducta, se ab omni successionis spe deiectos arbitrarentur, ira; ingentiq; odio, sed illo me hercle iniquo, in Obicium accensi, Ferraria discesserunt, illumq; etiam multis iniuris affecerunt, Actius, indignum existimans fratres suos contumaci in ipsum animo esse, iraq;, & odio flagrare, quòd, nobilissima vxore ducta, in spem posteritatis venisset, Fulcum, ex Frisco notho filio sibi nepotem, vt fratres se regnum habituros nunquam sperarent, hæredem instituit. Cum au-*

tẽ ille, vel quòd ætate iã grauis rei vxoriæ intẽperãter indulsisset, vel quòd illi iã fatalis hora superuenisset, grauissimo morbo correptus esset, medicorũ cõsilio, ad Aponi balnea; Beatrice vxorẽ sibi socia, pro salute recuperãda, æger se cõtulit. Sed cũ morbus magis; ac magis inualesceret, nec humanis artibus, aut ope diuina leuaretur, nullaq; amplius vitæ spes reliqua esset, fratres, nepotesq;, eo in temporis articulo, se fratri, patruoq; reconciliare, omni nixu, operam nauarunt. Et tãdem Nicolai Lucii veteris amici, Beatricisq; sororis, & aliorum amicorum precibus, atque hortationibus; in fratris; & patrui gratiam rediere. Et cum Actio legitimos notho post habere iniquum videretur, nouis confectis testamenti tabulis, fratres regni totius hæredes instituit, & mox vi morbi consumptus MCCCVIII. pridie Kl. Februarii vitam cum morte commutauit. Hic non possum quorundam scriptorum in Atestinorum Principum rebus perquirendis negligentiam summoperè non mirari; qui rebus illis ommissis, quæ à vero non abhorrent, vana, & ab omni veritate penitus aliena sibi confinxerint, & literis mandauerint, & Actiũ à Frisco filio in carcerẽ coniectũ, & necatum asseuerauerint. Extãt.n. postremę codicillorũ tabulę; quas cũ Friscus patris nõie Ferrarię p̃esset, Obicius ipse Ateste cõfecit. Quibus sanè cõstat ipsũ nulla custodia detẽtũ, nulla vi necatũ, sed ęgrũ, & morbo cõfectũ amicis assistẽtib. ĩ Beatricis sororis amãtissimę sinu, extremã aĩam expirasse. Inter hos verò auctores fratrẽ Leãdrũ Bonon. eò maiori nota dignũ censeo, quò

ipse, vt mendacio fidem paret, rei tam fœdæ Peregrinum Priscianum rerum nostrarũ optimé gnarum, testem adducit, cũ hęc omnia longé aliter (quàm Leander dicat) suis in annalibus scripta reliquerit, quod; vt clarius innotescat, hic illius verba adscribere non grauabor.

P. Priscianus Historiarum libro VIII. Folio XLVIII.

Ordinatis itaq; voluntate sua, & negotiis suis reliquis oĩbus, Azzo Marchio Beatrice sibi sorore secũ aßũpta, nobilibusq; viris, & equestris ordinis nonnullis comitatus Esti oppidũ defertur, & in Palatiũ Nicolai de Lucio equitis descẽdit, venerũt ad eũ Tisius de cãpo sãcti Petri, de cuius progenie satis difusé superiori libro cap. VII. diximus, Iacobus de Carraria, Nicolaus ipse Lucius, & alii plures Estensium Marchionum, amici fidi, & optimi, adducunt Aldrobandinum, & Franciscum fratres, Rhainaldum, & Obizonem, nepotes, quos Azzo, & diligebat, & amabat. Amplectũtur nobiles illi Marchionem, & deprecantur (Beatrice iam dicta, & fratribus prædicatoribus loci ipsius opem omnem negotio præstantibus) vt fratribus, & nepotibus parcat, in fraternum redeat amorem, & amplectatur illos, assentitur Azzo, fratres, & nepotes osculatur, amor inter ipsos dulcissimus redintegratur, & (vt scribit cronica vetus) deleto testamento prædicto, nouum condit, & fratres sibi hæredes in-

ſtituit, & in regno ſucceſſores. Sicq́; , vt Deo *placuit om nipotenti, die vltimo* Ianuarii *obiit. Hæc ſanè ad verbum* Priſcianus. *quibus explicatis, mox in* Blondum, *in* Platinam, *in* Sabellicum, *& in reliquos omnes, qui* Actium *à filio in carcerem conlectum, dein ſuffocatum aſſeruere, acerrimè inuehitur.* Quare Leandrum, *vel* Priſcianum *non legiſſe, vel eius ãnalibus prorſus in uerſis, vſum fuiſſe, ex* Priſciani *verbis apparet.* Nã *etſi* Friſcũ *veris* Principibus *regnũ occupaſſe teſtatus eſt, ipſum tamẽ ab oĩ paricidii nota vindicauit.*

DE FRISCO, ET INTERREGNO, ET RHAINALDO .II.

Vt inter Ateſtinos Principes, *quos in* Copæ *aureæ ædium teſtudine, longa ſerié, veriſq́; imaginibus,* Hercules Princeps *noſter; ad poſteritatis memoriam, pio in progenitores animo; magna cura pingi curauit, nullus* Friſco *datus ẽ locus, ꝙ nothus iniuria regnũ occupauerit; &* Tyrannũ *potius teterrimum, quàm verũ* Principẽ *geſſerit, ita ego etiã ipſum, in hac optimorum* Principum *commemoratione, ſilentio inuoluere, abſque piaculo, poteram.* Et *profectò ni mecum cogitaſſem, hoc ipſo ſermone, aliorum* Ateſtinorum *principum virtutem, & in patriam charitatem, eò illuſtriorem ſe oſtenſuram, quò iſte, ſua improbitate, à vero principe longius abfuit; ne de ipſo quidem verbum feciſſem.* Verum, *vt hunc* Tyrannum *penitus, reliquos vero patriæ parentes fuiſſe dea*

monstrem , quæ Ferrariensi populo Friscus intulerit damna, quæ veris Principibus incommoda, pro præsentis commentarioli breuitate, commemorare minimé grauabor. Friscus igitur nothus Actii filius, cui pater, cum Ateste Ferraria discessisset, totius ditionis regimen mandauerat, postquám patris obitum intellexit, & ex nouis tabulis se, Fulcumq; filium à regno eiectos. pertinacis, ac intemperantis, animi impetu ductus, regni Principatum, quo iure, quaue iniuria mordicus tenere sibi proposuit, cumq; ipsi vires ad regnum tenendum minimè sufficerent, magno cum Reipub. malo, Argenta, Regio lepidi, & Mutina amissis, cum Venetis fœdus iniuit, quorum præsidio, & copiis, vniuerso populo reclamante, annuam Tyrannidem exercuit. Rhainaldus verò & alii ab Actio hæredes instituti, à Clemente quinto pontifice maximo ope implorata, acre bellum cum Frisco, & Venetis gesserunt, multis vero' datis, atque acceptis cladibus, cum Friscus ciuium animos à se penitùs auersos cognosceret, vt se nothum pariter, ac Tyrannum certissimo ostenderet testimonio, patriam, quæ ipsum genuerat, aluerat, fouerat, igne in quàm plurimas domos immiso; execrabili incendio fœdauit, seq; in castri Thebaldi arcem; cum Veneto præsidio, è vestigio' recepit. Indignum visum fuit Clementi, eos, quos in suam ipse clientelam receperat, à Venetis, nulla boni, & æqui, tantæq; amplitudinis ratione habita, detestabili bello indignè vexari, quare cum nullis monitis, nullisq; hortationibus Veneti ab incœpto desisterent,

ſterent, eos accerbiſſimis diris proſecutus eſt, quibus irretiti, cum nec ſibi, nec fortunis locum vllum tutum viderent, ſe (militibus omnibus à Ferraria remotis) Pontificiæ poteſtati ſubmiſerunt, & eos, diris ſolutos, Clemens ſacris clementer reſtituit. Friſcus verò; omni ſpe, ac præſidio prorſus priuatus, Venetias aufugit, vbi, apud Diui Ioannis, & Pauli ædem priuatam vitam, extorris vixit. Sed quanuis Veneti Ferrariam obſidione liberauerint, Friſcus Tyrannide eiectus fuerit, tamen Ateſtini (vt fas erat) in regni poſſeſſionem minimè miſſi fuerunt. Arnuſius.n.vel (vt alii) Arnaldus Pelagura Pontificis legatus vrbi Veneta obſidione liberatæ quatuor annis præfuit. Nec legitimorum Principum ius quadriennio occupaſſe legato ſat fuit. Quin Roberto Neapolitanorum Regi, Xantiæ Regię vxoris (vt nonnulli referunt) interceſſione, & Clementis conſenſu, Ferrarienſem ditionem regendam conceſſit. Robertus Degum Raptam cũ magna Hiſpanorum, Catalanorumq; manu toto quadriennio Ferrariæ præfecit. Et cum acerbiùs, atq; inſolentiùs quàm par eſſet, homo Hiſpanus, peregrina, ac barbara ſuperbia impulſus, populum vrgeret, illius, militumq; inſolentia ciues ad Tyrannidem delendam excitauit. Videbant.n. Pelaguram, quem populari quieti cõſulturũ ſperauerãt, in alia oĩa potiùs abiiſſe; vrbemq; totam, præter eorum opinionem, immitiùs vexaſſe. Nam (vt rapinas, & alias omittam nobilium hominum cædes, quæ multæ, & maximæ fuerunt) Dalmaſius, cui legatus vrbem regendã cõmiſerat, Franciſcũ Marchionẽ,

magni animi, & spectatæ probitatis virum, publicæq; vtilitatis studiossimum, solo famulo sibi comite, Ferrariam cum accipitre, ab aucupio redeuntem, vix vrbem ingressum, ante portæ Leonis limẽ, de improuiſò, immanissimè interfecerat, & nudum in foro tractum sæuo, ac miserabili spectaculo proposuerat. Et cum legatus nullas de nepharii sceleris facinore pœnas sumpsisset, populus id illius iussu factum suspicatus est. Quod eò etiam sibi magis persuasit, quò ipse (ne ciues vnquã se quieturos sperarent) dominationem, quæ Atestinis Principibus iure debebatur, Roberto Neapolitanorũ Regi iniuria cõcesserat. Qui hominẽ importunissimũ, cædis, & rei alienæ auidissimum, populo tot iam cladibus affecto, ac calamitatibus afflicto, perèq; confecto, veluti extremum omnibus excidium apportaturum, indignè præposuerat. Populum igitur cum aliorum ciuium cædibus, tum immanissimo Marchionis interitu, ac nepharii hominis iniuriosa alieni appetitione commotum, suarum ærumnarum cœpit pudere. Pigereq; se barbaris, ac exteris gentibus potius, quàm illis dominis parere, quos non tantum natura, & communis patria ipsi concesserat, sed is dominos sibi delegerat. Quare, occasione arrepta, MCCCXVII. Nonis Quintilis (quæ dies diui Dominici sacris dicata est) ciues vnanimes in eas omnes gentes magna vi impetum fecerunt; & ingenti illis clade illata, vrbe penitus expulerũt, Vt vero quas Friscus sua Tyrannide turbas concitauerat, penitus sedarent, & accepta damna resarcirent,

Rhainaldum Atestinum, Aldrobandini filium, Marchionem. VI. ac verum ciuitatis dominum, in maiorum ditionem, quasi postliminio; reuocarunt. Et, ad perennem exacti Tyranni, & rei feliciter gestæ memoriam, imaginem diui Dominici portis omnibus ciuitatis Princeps S. P. Q. F. pingi iusserunt, publicè'q; statutum fuit; vt singulis annis, eadem die, diui Dominici templo solennis fieret oblatio, qui ritus, perpetua, ac inuiolata religione, ad nostra vsque tempora seruatus est. Non tamen hæc à Tyranno ad verum dominum transitio omni penitùs molestia caruit. Neq; .n. syncerum gaudium mortalibus fortuna, rerum humanarum domina, vnquam concessit. Nam Pontifex Max. ob ui eiectos milites, Estensib. Principibus, populoq; Ferrariensi aqua interdixit, & igni. Cæterum re maturiùs cognita, eos volens, ac lubens sacris paternè restituit. Hac verò iniuriæ nebula disiecta, Bononienses Rhainaldo bellum intulerunt, acre illud quidem, sed ea animi alacritate ab ipso susceptũ; ac ea felicitate confectum, vt victoria potitus sit. Nec minus feliciter Argentam oppidum, quod Rauennates occupauerant, sibi vindicauit MCCCXXIIII. Dein verò imperium; magna animi, & rerum tranquillitate possedit. MCCCXXXV. pridie Kl. Ianuarii diem suum obiit. Suscepit ex Lucretia, vel (vt alii) ex Catherina coniuge Aldrobandinum; & Actium mares, Beatricem verò fœminam, Despotæ Achaiæ matrimonio collocatam. Cum vero marium neminem in regno successisse com-

Rhainaldus March. VI.

Despota.

pariam, eorum etiam neminem parenti superuixisse crediderim.

DE OBICIO. III.

Obicius III. March. VII.

Muta sanè Obicii imago, eadem in aula felici penicillo depicta, magnam in Obicio prudentiam, singulari fortitudini iunctam certissimo videtur indicio præ se ferre, quod sanè, quæ de ipso, ex veterum annalibus referemus, re comprobatum ostendent. Successit Obicius Rhainaldo fratri Ferrariensium Marchio. VII. MCCCXXXVI. Kl. Ianuarii. Qui cum Ferrariense imperium tranquillum ac pacatum accepisset, ad ea recuperanda animum conuertit, quæ à vicinis iniuria fuerant occupata. Ductis igitur Mutinã copiis, eam valida cinxit obsidione, quam cum Mutinenses detrectarent, tum propriis, ac peculiaribus damnis, tum quia ipsis fas, piumq; videbatur, illis dominis sese regendos dare, quorum iustitiã, ac probitatem, longis annorum spatiis, experti fuerant, illis, qui populo inuisi erant, exactis, se Obicio dediderunt. Quibus in potestatem recceptis, eorum curam, ac regimen Nicolao fratri mandauit. Multa præterea, & pro Italiæ salute, & pro regni sui iurisdictione stabilienda, apud Pontificem maximum, apud Cæsarem Augustum, & apud alios Italiæ Principes sapienter admodum gessit. Interea Philippus Gonzaga, & Luchinus Vicecomes, ĩmodico producendi imperii studio

flagrantes , Parmam hostiliter aggresi sunt . Parmenses , quibus Obicii virtus cognita fuerat , vt ab hostium vi se se defenderent, illi anno MCCCXLIIII, IIII . kl. Nouemb. Parmæ dominatum tradiderunt . Quo sané facto tantus hostibus terror incussus est, vt, castris collectis, Parmã obsidione liberarint. Sed quam iniuriam Parmensi populo in ferre nõ potuerũt, malo, iniquoq; aĩo; in Obicii caput conuerte re statuerunt, & insidiis paratis, illum vel capere, vel interfice re tẽtarũt. Sed vir callidus, & solers ad cauẽdũ paratus, eorũ ĩsidias eo ingenio elusit, vt illi ipsi tẽpestatis auctores maximè timerent, ne quos, vt Obiciũ submergerẽt, fluctus concitarãt, in ipsorũ tandẽ caput, æstu multo' grauiore, redundarent. Quare sibi maximé conducibile duxerunt, cum Obicio fœdus per cutere, & pacem inire. Hunc autem, quòd ipsum ad ardua mi litiæ munera capescenda promptissimum, summoq; consilio , ac singulari iustitia prçditũ conspiceret, Clemens. VI . Pont. max. primum Ferrariensi populo. 1344 . sui iuris Vicarium prçfecit, fatis tam feliciter annuentibus , vt tandẽ Pontificũ consensu , ac eorũ diplomatibus Ferrariensis ditio Atestini iu ris effecta sit. Duas hic vxores, Bononienses ambas, subinde duxit, alteram Iacobam Romæi Pepuli, alteram vero' Lippam Areostam, ex quibus ipsum liberos. XI. Lilius, alii vero'. X . tantũ, suscepisse scripserũt . quorũ Aldrobãdinus, Nicolaus. cui Claudo cognomen fuit; & Albertus (quod infra ex plicabimus) paternum imperiũ vnus post alterum obtinuerũt. MCCCLII. post annum imperii . XVI . fato concessit.

Parmæ dominatus Obicio trad.

CYN. IO. BAP. GYR.

DE ALDROBANDINO .II.

Aldrobandinus secundus, quem decenti facie, & eleganti aspectu, patri proximum ad veram imaginem expressum conspicimus VIII. Ferrariensium Princeps salutatus, & à Pontifice max. Vicarius parenti suffectus tota ditione, summa tranquillitate, potitus esset, nisi necessitudine ipsi cōiūcti regni quietem indignè perturbassent. Huic. n. Principi prope fatale fuit, à suis grauissimè vexari. Ipsi. n. vt consanguineo negotium facesserent, cum Patauinis, Ariminensibus, Venetis, Principibusq; Mantuanis in Aldrobandini oppida, castellaq; multas incursiones fecerunt. Nullis tamen ipse illorum iniuriis animum despondit, nunquam ab ira, & odio se transuersum agi permisit, nunquam se ipso minorem ostendit, sed se ea animi magnitudine, qua aduersarios superauit, in secunda, & aduersa fortuna pulcherrimè est vsus. Regnauit annos. IX. MCCCLXI. mense Nouembri excessit è vita, ex Viride coniuge, vel vt alii, ex Beatrice de Camino Viridem fœminam, Obicium, Actiumq; mares genuit.

DE NICOLAO .I.

Hæc commemoratio, quam de Nicolao Claudo facturus sum, me ad Lilii mei vicem summopere dolendam impellit. Nam cum; ex annalibus nostris, strenuum, ac magnanimum

hunc Principem Claudi cognomen ſortitum eſſe cognouerim, quod articularibus doloribus, ex recto loripes effectus fuerit, ſuccurrit ingens illa mihi Lilij calamitas, in quam ab hoc eodem morbo, tanta cum ſæuitia, coniectus fuit, vt omnibus membris impeditus, ac viribus confectus totos. XV. annos immobilis, magniſq; doloribus vexatus, in lecto, qui ad quietem dari ſolet, miſerrime iacuerit, ea corporis ſpecie atque habitu, qua cadauer potius loquens, quàm viuus homo, poſſet appellari. Cæterum grauis, atque acerba hæc recordatio eò lenior efficitur, quò video Lilium nouercam naturam, & iniqui fati atrocitatem, acri viuidæ mentis acumine, ac magna animi vi, ſic ſuperaſſe, vt nullis doloribus fractus, nullis cruciatibus confectus, æternis literarum monumentis inter ærumnas, & angores id ſibi decus, ac nomen pararit, quod omnis ſemper ſit veneratura poſteritas. Inter quæ monumenta hanc etiam perbreuem Epitomem, quam iſto commentariolo ; noſtris verbis latius explicandam ſuſcepimus, mihi reliquit, vt quàm ipſe nimia vi morbi correptus, non poterat, ego Principibus noſtris operam præſtarem, quod, vt in alijs, ita in Nicolao pro ingenij mei mediocritate, & pro hac temporis anguſtia, perficere conabor. Hic igitur, cognomento Claudus, quem, propè Aldrobandinum, fratrem magiſtra Pictoris manus ſeueriori expreſſit aſpectu, nonus Ferrarienſium Marchio multa Ateſtinorum adiecit imperio, Nempè Mutinenſis agri caſtella, atque Tiberiacum (quod Bagnacauallum hodie dicitur) oppida, Lucumq;, Conſilicem, Co-

Tiberiacum.
Lucus.

tignolam, & quam præsente pecunia emit Fauentiam. Hic Mutinam (vt Polhyſtorius refert) mœnibus cinxit & Regium Lepidi Ateſtinæ ditionis oppidum, ſed iniuria ablatum, Gonzagæ viribus attritis, ſibi vindicauit. Mediolanenſium hoſtiles impetus eo animo ſuſtinuit; vt victor euaſerit, Franciſcum conſanguineum hoſtem habuit, qui Mediolanenſes ad bellum illi inferendum excitauit. Cæterum cum Franciſcus captus fuiſſet, & capitis periculo ab hoſte in cuſtodia teneretur, ne hoſtis in eum grauius animaduerteret, Nicolaus, iniurijs omnibus poſthabitis, triginta milibus aureis nummis ipſum redemit. Magnificum hercle facinus, & eo Principe dignum, qui Regiam Ateſtini generis nobilitatem præ ſe ferret, à qua Franciſcus eò magis abfuit (adeò diſpari ingenio homines eadem in familia ſæpe oriuntur) quò redemptus ad Mediolanenſes iterum diuertit. Sunt qui uelint hoc Principe turrim horariam, quę noſtris temporibus in ſe ipſam incubuit, conditam fuiſſe. Sed eos ipſa temporum ratio deceptos oſtendit. nam anno M CCLXXXIII. Amadeo Bonguadagno Architecto, ex pluribus rebelliũ domibus demolitis, principiũ habuit, qua condita, ipſum Amadeum rebellionẽ feciſſe annales teſtantur. Huic turri, pro horis tinitu ſignandis, conflatum æs campanum librarum triginta, & quingentarum ſupra trium millium pondo ſuperpoſitum fuit. Et hoc Principe, curiã etiã in qua ius redditur MCCCLXIIII. menſe Aprili condi cœptam eſſe, a noſtris annalibus proditum eſt; ab alijs autem MCCCXXV. à qui

bus

Nicolai clementia.

bus parum distat Priscianus, qui MCCCXXVIII. conditam testatur, prætore Galeactio Madio nobili Brixiē si, in cuius sententiā ego eo' magis descēdo, quo' varii ānales illi adstipulātur, cuius sane' Prisciani sentētiæ cū assentiā, nō possū nō arbitrari Vincentiū; ab eadē præclara Madiorū familia oriundum, ab Hercule Principe nostro elegante ingeniorum spectatore, ad Enucleanda Ferrariensi iuuentuti Philosophiæ mysteria, aliqua occultiore fati virtute, fuisse vocatum, vt ab eadem nobilissima gente ciuitas nostra duos clarissimos viros habuisse maxime sibi laudi adscriberet, alterū q̄ iuri dicēdo sāctissime' preesset, alterū qui rerū pulcherrimarū, atq; abditissimarum arcana adolescētibus nostris pulcherrime patefaceret. Nō minori etiā nominis fama Nicolaus Caualcantes nobilis Florentinus. MCCCLXXIIII. Ferrariæ, sub hoc eodē Nicolao, pretorē gessit, ea animi integritate, vt nec prece, nec precio, nec alicuius auctoritate latū (vt dicitur) vnguē a' iustitia declinarit. Ab hoc, lōga, ac præclara successionis serie, qui nūc viuit Bartholomeus Caualcantes originē duxit. Hūc nobilitatis gloria, morū ꝓbitate, ingenii felicitate, & pulcherrimis bonarū artiū studiis, singulariq; fortitudine apprime' ornatū in Toga, et ī sago optimū ciuē Florētia vidit. Patrie.n. a qua maiores ēt nr̄i. (qui iā CCL. annis illīc ad felissimā Atestinorū ditionē accessere, originē duxerūt) et prudēti cōsilio, & forti dextra, tā strenuā opā p̄stitit, vt si illa cuiuspiā prudētia, ac fortitudine, pristinā libertatē seruare potuisset, ea nūc ēt, Caualcātis ope; atq; virtute; potis

Vincentius Madius.

Barth. Caualcantes.

retur. Hunc illius humanitas, studiorumq́; similitudo mihi tam arcto necessitudinis vinculo iunxit, vt illius in me beneuolentia, meusq́; in ipsum amor, nec locorum intercapedo nec fortunæ sæuientis iniuria, nec longa temporis vetustas sit solutura. Sed iam ad Nicolaum, à quo nonnihil hæc Madii; & Caualcantis optimorum amicorum commemoratio me abduxit; vertenda est oratio. MCCCXXXV. XIIII. kl. Septemb. à Nicolao castri veteris fundamenta, supposito ab Alberto Marchionis fratre aureo nũmo, iacta sunt. Cũ.n.populus in Nicolaũ Tortonensem Decurionum magistrum impetũ fecisset; isq́; celerrimo gressu in Principis aulã, quasi in arcem se recepisset, populus turbulẽtissimè ad arma excitatus, illũ captis armis eò vsq́; secutus est, et Principis Atriũ oẽs vnà ꝓinde, ac illi obsidionẽ pararẽt, circũdederũt, & cũ nullis minis, nullis Principis hortationibus populus ira accẽsus, & furore percitus ab inferẽda infensissimo homini nece auerti potuisset, ne ipse quem alterius improbitas concitauerat tumultum in se conuerteret, illum ad meritum (vt annales testantur) supplicium, vel inuitus emisit. quem furens populus membratim discerptum igni, in foro accenso, cremandum dedit, eiusq́; cineres ventorum flatibus spargendos tradidit, ac disiiciendos. Qua rei indignitate Princeps meritò commotus, vt tuto se loco munitum redderet, arcem, quam diximus, condi curauit, quæ quidẽ, & Principi, & cunctæ ciuitati magno fuit tutamento, certissimumq́; præ se tulit stabilitæ ditionis argumentum. Arce condita Nicolaus de

Castri veteris ædificatio.

nephariis hominibus, quorum atrox ſcelus ad ea vſque tempora tacitus diſſimulauerat, eas ſumpſit pœnas, quibus illatam iniuriam ſeuerè, ac vehementer vindicauit. quod medius fidius reliquis ciuibus exemplo fuit, quibus ſint illi digni ſuppliciis, qui nulla Principum ratione habita, in magiſtratus, quantũuis ĩprobos, temerè, nimiſq; audacter irrũpunt. Corbulas hic etiã Princeps cõſtituit. Et locũ vbi nunc vectigalia ſoluuntur erexit. Hoc iubente, bona, ac ciuiũ capita tunc primùm cenſa, Magiſter cenſuũ creatus, & cenſuũ ratiões cõſtructę fuerũt. Vxorẽ duxit Viridem Canis Scaligeri, Veronæ domini filiã. Ex qua Rhainaldus eſt natus, qui patri ſuperſtes non fuit, & Tadeam, & Conſtantiam fœminas, illam Franciſco Carrariæ, hanc Malateſtæ Ariminenſi matrimonio collocatam. Cum vero annis triginta ſeptem regnaſſet MCCCLXXXVIII. extremũ vitæ actum abſoluit, & . IIII. Kl. Aprilis, quo die, Chriſti cruci affixi ſacra ſolennia celebrantur, humatus eſt, & præter morem, in eius funere à ſacris turribus frequens æris campani tinnitus auditus eſt.

Locus uectigal[...]

DE ALBERTO .II.

Hic, quem in foro Marmorea in figura togatum; de illius q; tempeſtatis more cuculatum, & eodem cultu in Copæ aureę curia; poſt fratrem Nicolaum non acri, non ſeuero, ſed benigno, ac mitiſſimo aſpectu ſuis coloribus pictum vi

demus. Albertus ſecundus eſt. Et. X. Ferrarienſium prin ceps ſenatoriȩ potius Togȩ, quàm militari ſago natus. Hic paci, ac tranquillitati quanto potuit maiori ſtudio operam de dit. Et quanuis Principes quidam illi bellum indixerint; & quȩ in Patauino agro oppida tenebat illi turbauerint, ipſe ta men, conſilio potius, ac prudentia, quàm bello, & ſangui ne, iuriditioni ſuȩ cenſuit conſulendum; quod ſanè, vt opta uerat effecit. Anno. MCCCXCI. quadringentis no- biliſſimis equitibus ſociis, ad Bonifacium nonum Pontificē Max. Romam profectus, ab eoq; amanter, & honorificè ſuſceptus, Bonifacianum diploma (quam bullam vocant) & bonarum omnium artium, liberaliumq; diſciplinarum Gym- naſium Ferrariȩ erigendum primus obtinuit. Vidit enim Albertus ad nominis immortalitatem nihil magis conferre, quàm literarum monumenta, eosq; Principes magna ſibi; ac ciuibus ſuis ornamenta parare, quorum cura optimè nata in- genia in ſpem prȩclaræ eruditionis aluntur. quod ſi prioribus etiam Principibus cordi fuiſſet, in illorum rebus perquiren- dis non tantùm nunc laboraremus, multaq; prȩclara illorum facinora obliuioni tradita, magna cum illornm gloria, vel ipſa inuidente vetuſtate, ad poſterûm animos ad decus ex- citandos, mirificè elucerent. Eſt enim ipſa probati auctoris ſcriptio, perennis quidam ſermo, qui prȩſentibus, & poſte ris etiam, ȩterno temporum curſu, prȩclarè facta in morta- lium animos inſtillat. Quod ſanè, cum poſteri animaduer- tiſſent, quod ille inſtituit Gymnaſium, magna ſemper dili-

Gymnasium Ferraren.

Scriptio aucto-ris probati.

gentia fouerunt. Quod nunc Herculis Principis optimi, ac sapientissimi auspiciis florentissimum habemus. Memini me á maioribus nostris audiuisse, Theodorũ Gazzã virũ doctissimũ, Ferrariensi Gymnasio præfectũ (quẽ Rectorem vocant) fuisse. Eumq; , dum Ferrariæ, literas Græcas profiteretur, in orationem Demosthenis pro Ctesiphonte, quam temporibus illis enarrabat, commentarium, quod etiam nunc legitur, edidisse. Vnàq; cum summis Philosophis, ac Medicis, Bartholomæum Salicetum, Giliolumq; Cremonensem, viros vtriusq; iuris consultissimos, amplissimis præmiis Ferrariam vocatos fuisse. Illumq; ius Cæsareum. Hunc Pontificium, magna auditorum frequentia, enucleasse. Cum veró Albertus hos duos clarissimos viros nactus esset, vt ciuitas, quám alii Principes bello armisq; illustrẽ illi tradiderant; optimis legib. atq; decretis niteretur, illis (hoc. n. otii sui munus posteris relinquere voluit) municipalis iuris cõdendi munus mãdauit. Hiq;. MCCCXCIII. VII. kl. Aprilis eas, quibus nunc etiam vrbs nostra regitur, institutiones, Principis decreto firmatas ediderunt. His Petrum Ancharanum, & Antonium Butrium additos fuisse quorundam annales prodiderunt, qui in eodem munere obeũdo, oẽs numeros expleuerint. Albertus Schiuanoiam, Paradisum, Bellum florem, regias ædes, Ferrariæ construxit. Ioannam Roberti Gabrini filiam vxorem duxit. Nicolaum filium, penè infantem, regni successorem reliquit. Obiit Albertus imperii sui anno. V. MCCCXCIII. pridie Kl. Augusti. cui togatam

} schiuanoia
} Paradisi,
} belli floris,
aedificatio.

illam marmoream statuam, de qua meminimus, in prima maioris tẽpli fronte. S. P. Q. F. vnà cũ Bonifaciano diplomate aureis notis descripto, optimè merenti posuerũt.

DE NICOLAO .II.

Nicolaus, qui eorum Principum progenitor futurus erat, sub quorum imperio vrbs Ferraria ad eam amplitudinem crescere debebat, qua omnibus esset admirabilis, eo vultu, atque habitu à natura formatus fuit, vt inter armatos valde conspicuus, & inter pacatos senatores Regiæ grauitatis, & vrbani moris nequaquam expers videretur. vt ex pictura propè Albertum ad veram imaginem, eadem in aula picta, & ex ænea aurata equestri statua, quam illi, ob excellentem virtutem, & singularem in re bellica præstantiam. S. P. Q. F. in foro erexit est videre. Huic, qui. X I. Ferrariensium Princeps fuit, omne imperii ius, summo populi consensu, delatum fuit. Sed cum vix vndecimum annum ageret, ob minoris ætatis imbecillitatem, sub tutela Ioannis Salæ, & Antonii Montiscatini, qui arcanis domini consiliis præerant, ad pubertatem vsque vitam egit, qua sanè in ætate, & in belli simulachris ducendis, & in honestis exercendæ iuuentutis certaminibus, generosi animi, & heroicæ indolis inditia pulcherrimè dabat. Nemo.n.inter æquæuos, vel agilius equũ mouebat, vel validiùs hastis cõcurrebat, vel mucrone aduersariũ fortiùs appetebat, vel vehemẽtius cõto pugnabat

vel ferreũ vectẽ longius vibrabat. Quibus artibus instructus, et exercitationibus firmatus, vbi primũ ex ephebis excessit, ex vmbra, & fictis certaminibus in aciem, & in puluerem eo animo se contulit, vt prope' prius imperator fuerit, quàm miles. Validis. n. viribus, & expedito ingenio, vel in ipso iuuentutis ingressu, multa præclara gessit, atque magni- fica. Quare, cum summo studio ad res bellicas animum ap- pulisset, totius ditionis curam Vgutioni contrario, illi affinita te coniuncto mandauit. Qui ea animi moderatione, atque integritate (quanuis, & ipse vigesimum secundum annum vix ageret) cum sua virtute, tum prudentum consiliis, quam sumpserat personam gessit, vt nihil in ipso desideratum fue- rit, quod a' graui, & sapientissimo senatore posset expecta ri. Nicolaus in dominatu Luci, Bagnacaualli, Massæ, & aliorum flaminiæ locorum, quæ Nicolaus Claudus Ate- stino addiderat imperio, ab Eugenio tertio Pontifice Maxi- mo confirmatus fuit. Et. MCCCCX. S.R.E. Vexillifer, & totius Pontificis militiæ Dux, atque Impe- rator creatus fuit. Actium patruum, qui. MCCCXCV. XIX. kl. Martii acre illi bellum intulerat, & in eius caput coniurauerat, ab Hectore, vel (vt alii) ab Astore, Manfredo Porti captum; ex Senatus Veneti. decreto (quã- quam non desnnt, qui hoc Nicolao Claudo potius adscri- bant) in Cretã relegauit. Comiti Ioanni Barbiani, qui Vignolæ oppidũ dolo, atque iniuria occupauerat, pro pa- trato scelere ceruices abscidi iussit. Venetorum impetum, qui

magno exercitu comparato terra, padoq; totis copiis Ferrariam inuaserant, non minori consilio, quàm fortitudine declinauit. Quare ob præstantem illius in rebus bellicis virtutem, & præclaram in rebus gerendis prudentiam, cum Foroliuii ciuitas seditionibus, ac bello ciuili propèmodum arderet, ipsum ad illas intestini odii faces extinguendas, & ciuium animos ad concordiam deducendos Ioannes Pontifex Max. Foroliuio præfecit, qui turbis omnibus compositis, ac odiis sedatis, Foroliuium pacatum Pontificiis præsidibus reliquit. Otho tertius Parmensium Tyrannus ea fraude, qua patriam occupauerat, Atestinorum etiam imperium sibi arrogare proposuerat. Et nulla boni, aut æqui ratione habita. Nicolao Regium Lepidi dolo surripuerat. Ad quem recuperandum cum magnam peditum, atque equitum manum Atestinus collegisset, Sforciam Cotignolanum, belli peritia, atque animi magnitudine, & corporis robore antiquis Ducibus æquandum, equestribus copiis præfecit, & acie instructa, aduersus Othum castra mouit. Hic, tanto belli apparatu audito, animo perculsus, Nicolao se viribus imparem & ad illius impetum sustinendum minimè idoneum esse cognouit. Quapropter ad illum dolo, ac insidiis premendum sese conuertit, & vt voti compos efficeretur homo vafer, & ad fraudes nectendas natus, se pro fœdere percutiēdo, et pace firmanda, Nicolai colloquium cupere simulauit, quod cum Nicolaus minimè abnueret. MCCCCIX. ad VI. Kl. Iunii in valle viridi propè Herberiam, vt de iis, quæ

Herberia opp.

inter

inter eos tractanda erat ſermonem haberet, vterque ſe contulit. Otho, ad omnia ſimulanda paratus; hilari vultus ſpecie fraudem prætexens; ſiccariis clàm paratis, qui Nicolaum mediis in ſermonibus obtruncarent, blandè illum excepit. Verum ille ipſe pacis auctor Deus optimus max. id ſceleris ſancto ſub fœderis nomine patrari minimè tulit. Cotignolanus. n. Sforcia, vir callidus, dolos præſentiens, ſua virtute Othonis inſidias anteuertit, & ,impetu de improuiſò in Tyrannum facto,ipſum multis vulneribus confoſſum interemit. Quo extincto Parmenſes,& Regienſes, quibus Otho non minus ſœuè, quàm violenter imperabat, cum Nicolài beneficio à ſœua illius Tyrannide, quaſi à grauiſſimo iugo, eodemq; infenſiſſimo,collum ſubduxiſſent, hilares Nicolao ſe dediderunt. Illi pridie Kl. Iulii. Hi verò. IX. Kl. Sextili. ãno verò à partu Virginis. MCCCCXXVI. XIIII. kl. Aprilis. Venetorum, ac Florentinorum copiis omnibus,non ſine maximo illarum Rerũp. cõmodo, præfectus, hoſtium copias ea virtute retudit, vt nec Veneti, nec Florentini quicquam detrimenti paſſi ſint. Literis etiam proditum eſt ipſum à Ladiſlao Neapolitanorum Rege. MCCCCXIII. copiarum omnium, quas in Italia tenebat, triginta milium aureorum nummorum ſtipendio Ducem, atque Imperatorem delectum fuiſſe. Hic idẽ Sigiſmundum Imperatorem. MCCCCXXXIII. V. Idus Septemb. mille equitibus ſociis Ferrariæ hoſpitio honorificè accepit. qui filium pridie kl. Octob. Nico

lao ex vxore natum, & ab Imperatoris ipsius nomine vocatum sacris, ac lustralibus vndis expiandum obtulit. Moxq; ipsum infantem. XVIII. Kl. Octob. & Herculem legitimũ illi fratrem: Duosq; nothos Leonellum, & Borsiũ ĩ Ill. equitũ numerũ Imperatoria auctoritate cooptauit. Et aquila nigra, Cæsareo insigni; beneuolentiæ, atque hospitalitatis ergò (vt Blondus refert) Nicolaum donauit. Hoc etiam Principe à. S. R. E. decretis, & à sacrorum ritu Græci dissentiebant. Quos cum Eugenius. XXIIII. ægré ferret ea in hæresi versari, vt res amicè, & religiosè discuteretur, & toti Christianorum gregi vnum ouile esset, & vnus pastor, Reipub. Christianæ concilium indixit. Vrbsq; Ferraria, in qua de tota re, accurata disputatione tractaretur, à Græcis pariter, & Latinis electa fuit. Eugenius igitur. MCCCCXXXVIII. VIII. kl. Feb. cum Romanæ curiæ præsulibus. Et. IIII. Nonas Martii eodem anno Ioannes Paleologus, Græcorum Imperator, cum Constantinopolitanis Antistitibus, eorumq; Patriarca Ferrariam appulere. Accepi à maioribus, meis Guarinum Guarinium Veronensem inter Latinã, & Græcã nationẽ interpretẽ fuisse. Hic ille est Guarinus, qui primus Guariniæ gentis incunabula felicissimis auspiciis Ferrariæ posuit, in quibus humaniores musas libentius habitasse; quàm quacunque alia in domo; creditum est. Hic (hominis doctrina, & probitate cognita) à Leonello postea, qui Princeps Nicolao successit, Ferrariam ad literas Græ

Aquila nigra Nic. donata.

Concilium ferr. indictum.

cas, & latinas publicè profitendas honestissima conditione vocatus est. qui filium reliquit Baptistam, in interpretandis vtriusque linguæ auctoribus, nulla in re, patre minorem. Patrem Baptistam, in eodem profitendi munere, secutus est Alexander, qui cum ob excellentem literaturam, tum ob prudentiam, & rerum agendarum peritiam Alfonso, atque Herculi, Principibus nostris, adeò carus fuit, vt ob singularem eius fidem, atque integritatem, & epistolarum magister, & penitiorum vtriusque consiliorum fidissimus fuerit custos, qui postea ab eodem Hercule Fisco procurator, vnà cum Baptista Sarraco incorruptæ integritatis viro, & literarum luminibus egregiè illustrato præfectus est. qui ambo id muneris ea prudentia, atque innocentia obeunt, vt Fisci rem diligentissimè curent, & populi gratiam sibi concilient. Sed (vt ad concilium reuertamur) cum summi duo illi Principes, & vtriusque gentis Antistites Ferrariam conuenissent, Guarino Veronense (vt diximus) interprete de vtriusque gentis opinionibus disseptari cœptum est. Sed peste suborta, & Pontifex, & Constantinopolitanus Imperator. MCCCCXXXIX. pro sententiis conciliandis, vnà cum toto cœtu Ferraria Florentiam discessere. Ibiq; concilium, et controuersiæ optatum finem habuere. Aedificia multa tum in vrbe, tum extra à fundamentis Nicolaus erexit castrum .s. nouum vrbis. Bellum riguardum ea fortuna, vt omnes eius successores illum instaurare, & augustiorem reddere (vt hic qui nunc regnat Princeps noster) diligenter curauerint,

Castrum nouu[m] à Nic.o edific. et Bellu[m] riguard[um]

arces condidit finalis, & Mutinæ, consandaliq; prætorium Diuæ Mariæ cœnobium, Diui Dominici sociis concessum. Et locum vbi contractuum omnium tabulę publicis libris descriptę, perpetuo seruarentur (Registrum appellant) in totius populi commodum construi iussit. Hoc etiam Principe MCCCCXII. IIII. Nonas Iunii (vel vt alii) MCCCCXV. pridie Idus Iulii marmorea maioris tẽpli turris (campanile dicitur) ędificari cœpta est. Nicolao verò iam seniore effecto, eius integritas, ac fides, & in rebus agendis, ac tractandis facilitas, & in controuersiis componendis felicitas omnibus adeò innotuerat, vt ad discordias omnes sedandas ab Italis Principibus vocaretur. Quare ortis inter Philippum Mediolani Ducem, & Ioannem Franciscum Sforciam grauissimis dissidiis, ipse, ab vtroque sequester electus, quos Italus orbis vniuersus haud vnquam reconciliare potuerat, ad mutuo se amandos induxit, & Blancam Mariam Philippi filiam Sforcia sibi, litibus amotis, vxorem tam felicibus auspiciis iunxit; vt in tota Mediolanensi ditione Philippo successerit. Dum vero socer, & gener inter se dissiderent Mediolanensi imperio Nicolaus præfuit, & rebus inter ipsos compositis, repentina, & lætali febre correptus, anno. MCCCCXLI. eius imperii. LII. P. M. VI. Kl. Ianuarii, cum omnia optimi Principis, & strenui Imperatoris munia, magna cum laude, impleuisset, Sexagenario maior, mortem feliciter obiit. Mox Ferrariam vectus Kl. Ianuarii in ea; quam ipse condiderat, Di

uæ Mariæ æde ante maiorem aram sepultus fuit. Tres vxores Nicolaus seorsum duxit. Liliolam. MCCCCXXVI *Francisci Carrariensis Pataui domini filiam. Alteram, non satis felicibus nuptiis, Paresinam a' Malatestis Ariminensib. Principibus oriundam, ex qua Luciam, & Iuniperam gemellas.* MCCCCXXIX. *ipsum suscepisse annales testatum reliquerũt, Tertiam Ricciardam.* MCCCCXXXI. XVIII. *kl. Feb. Aloisii Salutiorum Principis filiam, vel (vt alii) sororem. Ex qua duos tantum legitimos liberos susce pit. Herculem anno eodem.* VIII. *kl. Nouembris, deinceps Sigismundum. Nothi autem generis ex diuersis Pellicibus vnum supra viginti procreauit. Hic. n. fortissimus bellator natura ad amores procliuior fuit, cum tamen in alias mulieres adulteras seuerissime' animaduerteret.*

Huic ceruic abscidi fuit.

DE LEONELLO.

Quos stimulos hominum animis nimia regnãdi cupiditas admoueat, & quàm a' recto mortalium mentes deflectat. Hic Leonellus, quem densa, irtaq; coma, derasa barba; collo oblungo, tumidioribus labris, aspectu prope' subrustico, antiquoq; prisce vestis cultu. XII. *inter Atestinos Principes pictum videmus, certissimis inditiis demonstrauit. Nam quanuis in humanioribus literis probè versatus esset, eaq; de cã quid probũ virũ maximè deceat noscere debuisset, tñ ĩmodico regnãdi desiderio, et ius, et fidẽ violare nõ dubitauit. Cũ. n. Nicolaus pater,*

Herculē, et Sigiſmūdū legitimos fratres illius tutelę reliquiſſet; ipſe nothus; īpulſore Ioāne Gualēgo Decurionū magiſtro, quod Herculi legitimo fratri hæreditario iure debebatur imperium, nulla parentis in illum fidei, nulla iuris, aut æquitatis, nulla fratrum pupillaris ætatis ratione habita ſibi inique' vindicauit. Nec ſatis hoc fuit homini dominatus ſtudio flagranti, ſed primo errori alterum addidit. Cum. n. populum hac iniuria valdè commotum videret; ne Herculis & Sigiſmundi præſentia populum indies magis excitaret, fratres vrbe eiecit, & eos Neapolim apud Alfonſum Regem relegauit. Qua ſane' indignitate Ricciarda mater flēs; ac gemens Ferraria diſceſſit, eo animo vt Deos immortales (quos illatæ iniuriæ vltores, ac vindices implorauit) teſtaretur, ſe nunquam, niſi filiis in regnum reſtitutis, in vrbem reuerſuram. Interea Leonellus animaduertens, quàm populo graue, atque acerbum eſſet, legitimos Nicolai filios regno extorres eſſe, & nothum ciuitati dominari, eam acerbitatem tot blandiciis; tantaq; humanitate lenire ſtuduit, vt ciuium potius comes; quàm Dominus videretur. Cæterum quanuis ad imperii molem ſuſtinendam ſe conuertiſſet nunquam tamen ab optimarum artium ſtudiis animum auocauit. Videbat. n. ad imperii ſplendorem, præclara diſciplinarum ſtudia multum luminis afferre. Quare incœptum ab Alberto Gymnaſium, aucta profeſſoribus mercede, prouexit. Vgonem Bentium Senenſem ad Medicinā publice' profitendā ampliſſimis præmiis conduxit. Hic ille eſt Vgo, qui

iisdem temporibus, quibus Græci cum Latinis Ferrariæ de religione, & sacris disputabant, omnes Græcorum rationes acutissimè soluit, & disertissimè confutauit, quo sanè tantum sibi nominis comparauit, vt Italorum omnium doctissimus pariter, & acutissimus haberetur. Ex Vgone ortus est Franciscus, qui & ipse Medicinam magna cum laude sub Hercule primo professus est. Hic vero Soccinum genuit, Pythagoricæ, Platonicæ, & Peripateticæ disciplinæ maximè gnarum, Galeniq́; & Hippocratis viam eo gradu ingressum, vt maleuolorum in se inuidiam concitarit, cuius ipse pertæsus Ferraria in Thusciam, regionem auitam, se contulit, & Pisas amplissima mercede ad profitendū vocatus, ibiq́; magna bonarū artiū iactura, septuagenario maior eò īfelicior mortuus ē, quò Frācisco filio, q̄ clarū virtutis specimen dederat, fuit superstes, & quas à filio expectabat inferias ipse illi mœstissimus soluere coactus fuit. Ab hoc Soccino Dialecticā admodum adolescens, & ætate prouectiore Physicā amantissimè doctus fui, cuius sanctissimis manibus (quando locus me admonuit) vt aliquam grati discipuli gratiam rependerem, pauca hæc de ipso, & Bentia domo huic commentariolo inserere non ab re duxi. Iam vero ad institutum reuertamur. Leonellus in arte oratoria eò illustrius sibi nomen comparauit, quò illam cum generis nobilitate, & regni amplitudine coniunxerat, temporibus illis præsertim, quibus inepta barbaries latinæ linguæ splendorem penitùs obscurauerat. Duas ipsius Latinas legimus orationes, alteram ad

*Pontificem Maximum, alteram ad Romanorum Imperato-
rem, multis ingenii luminibus litas. Non tamen adeo' litera-
rio otio ſtudebat; quin etiam in regni cuſtodiam non incumbe-
ret. Quare cum timeret ne, ob quam Padus præbebat itine-
ris commoditatem, ab hoſtibus aliqua in vrbem repẽtina fie-
ret irruptio, mœnia ab ea vrbis parte, qua Pado alluitur,
condere aggreſſus eſt, eamq; ſic propugnaculis munire, vt
omnem hoſtilem impetum poſſet arcere. Duas hic vxores,
alteram, poſt alteram ſibi iũxit, Priorem Margaritã Gonza-
gam. MCCCCXXXIIII. VIII. Idus
Feb. ex qua. MCCCCXXXVIII. III. kl.
Iulii, Nicolaus ille natus eſt in quo ipſe lõgę poſteritatis ſpẽ,
non ſatis tamen felicibus auſpiciis, repoſuerat. Poſteriorem,
Mariam Alphonſi Aragonii Neapolitanorum Regis filiam
MCCCCXLIIII. VII. Kl. Martii Ferra-
riam duxit. Anno vero a' Virginis partu. MCCCCL.
pridie kl. Octob. vel vt alii ipſis Octob. Kl. ætatis ſuæ
anno. XLI. Imperii. IX. P. M. fatali prope' mor-
bo præpropere' ſublatus eſt. Quo ſane' obitu vltoris Dei
iudiciũ pii homines admirati ſunt. Huius.n. filium vix duo-
dennem pupillum in alterius poteſtate non ſecus relictum ani-
maduertebant, ac Nicolaus eius pater (cuius nomen nepos
ipſe referebat) Herculem, & Sigiſmundum Leonello re-
liquiſſet, vt eandem hac in parte Nicolaus Leonelli filius
fortunam ſortiretur, quam Hercules, & Sigiſmundus indi-
gnè admodum ſuſtinuerant, ſed euentu multo infeliciori. Nã*

Duodennis.

Hercules

Hercules tandem paternum regnum, quod sibi iure debebatur, consecutus est. Nicolaus vero dum infausta acie, Herculi imperium vi, & dolo eripere tentaret, omnib. eius copiis captis cœsis, ac fugatis. MCCCCLXXVI. pridie nonas Septẽbris vitam cũ morte miserrime cõmutauit, qui filios quatuor nothos reliquit Hieronymos scilicet duos, Vincentium, & Baptistam. Fuit Leonellus natura ad libidinem procliuior, cui cum plus æquo operam daret; intempestiuam sibi mortem accersiuit.

DE BORSIO DVCE .I.

Borsius. XIII. Ferrariensiũ Princeps a' prima adolescentia ad res bellicas animũ conuertit, Florẽtinorũ, Venetorũ, ac Mediolanensiũ copiis, diuersis tñ tẽporib. ea fortitudine, ac felicitate præfectus fuit, vt pugnacissimi pariter, ac prudentissimi Ducis laudem sit consecutus. Cæterum postquam Leonello fratri in regno successit, alacrem illum animi ardorem, qui ipsum adolescentem ad martia bella cõpulerat, ab acie, & pugna ad pacem, & tranquillitatem conuertit, quòd nihil Principe dignius arbitraretur, quàm populis suis quietem parare, & pacato regno potiri. Quod sane' hominem antea' bellica laude insignem, natura ad pacem procliuiorem fuisse pulcherrime' demonstrauit. quod etiam ex ænea illa aurata statua, quam in regio solio sedẽtem ipse sibi in foro posuit, & ex ea, quam aliis Principibus sociam eadem in aula pictã

videmus conſpici poteſt.mitiſſimo . n . fuit aſpectu , fronteq́; planè regia , totaq́; ad tranquillitatem , & ad æquum, & bonum compoſita . Nec ſane animus ab ea probitatis ſpecie , quam vultu præ ſe ferebat auerſus fuit . Hacq́; hortante cum Leonello fratre extincto à S . P . Q . F . in Diui Georgii inſula, ſumma cum omnium lætitia, Princeps ſalutaretur , diu imperium detrectauit . aiebat . n . vir probus regnum iniuria à Leonello Herculi ablatum , non ſibi , ſed illi , legitimo Nicolai filio, iure deberi. ideoq́; ipſum Ferrariã accerſendum , & Regii ſceptri honore donandum . Cæterum Borſius ab Alberto fratre ſemel , atque iterum hortatus , & à nobilibus omnibus rogatus , vt quem illi , ad turbas , & ſeditiones , quæ imminebant , ſedandas dominatum offerebant , minimè recuſaret (Nam , ſi fortè ea in ſententia perſiſtebat, aiebant maximum imminere periculum ne ciuitas in officio , & fide permaneret) tandem patriæ amore , & publicæ ſalutis cauſa , inuito ſimilis , regni pondera ſuſtinenda ſuſcepit . Cõmendarat moriens Leonellus Nicolaũ filiũ Borſio ex iiſdẽ parentibus ſibi fratre . Stella . n . Aſſaſſinia , ſeu tu mauis Ptolomęa ambos Nicolao pepererat . Leonellũ. M C C C C VII . III I . Nonas Septemb . Borſiũ vero . M C C C C XIII I . X VIII. kl . Septemb . Nicolai curã amanter Patruus ſuſcepit. Cæterũ , dũ illũ ſplendidè , ac liberaliter alebat , erat animi dubius nepoti ne , an Herculi fratri imperiũ daret . Ipſum. n . fratris extincti amor , & pacta fides , ad Nicolaum ad ſpem

regni educandum hortabatur. Ius vero ipſum, faſq; illud Herculi concedendum ſuadebat. Se. n. à ſummo numine Prinicipem deſtinatum arbitrabatur, vt illatam à Leonello Herculi iniuriam (quando id commodè facere poterat) prorſus deleret, dum verò alternis ſententiis, veluti fluctibus quibuſdam, huc, illucq; agitaretur, tandem ſtatuit vir prudens, imperium virtuti præmium fore, illiq; regnum relinquere, qui ſe illo magis dignum ſua virtute præſtitiſſet. Quòd ſi fortè eueniſſet, vt eorum vterque pari animo ad laudem, & ad decus contenderet; inter ipſos regnum æquis portionib. diuidere decreuerat. Sic. n. & adſtrictæ Leonello fidei, iuſtitiæq;, & vtriuſq; virtuti aliqua ſaltem ex parte facturum ſatis ſibi perſuadebat. Hac igitur in ſententia animo certo, & confirmato permanens, Herculem cum Sigiſmundo fratre Neapoli Ferrariam reuocauit. In quo Hercule cũ viuidę mentis acumen, ſpecioſa regii animi ornamenta, miramq; in armis tractandis cum fortitudinem, tum agilitatem animaduerteret, Herculem ad imperium, Nicolaum verò nulla illuſtri dote conſpicuum, ad luxum, & ad voluptates natum cognouit: Semperq; Herculis virtutem quanto maiori potuit ſtudio fouit. Interea tamen Nicolaum etiam hortabatur, vt Herculis ipſe exemplum ſibi proponeret, ad illud ſeſe effingeret, quò & ipſe, æmulæ virtutis ſtudio, illi præſtaret, vel ſaltem parem ſe efficeret. Amantiſſimis, & propè paternis, patrui hortationibus non parebat adoleſcens in delitiis non modò natus, ſed etiam altus. Borſius autem

Imperiu[m] virtut[is] premium.

in eo, quod susceperat imperii, regimine ea se moderatione tractauit, vt ciuium animos incredibili sibi deuinxerit beneuolentia, Italisq; omnibus Principibus, externisq; etiam, tantæ fuit admirationi, vt omnes illum quidem naturæ vitio nothum, sed animo, & virtute Principem natum iudicarent. Si quæ vero', vel fortunæ sæuientis vi, vel rerum humanarum vicissitudine, imminebant bella, illa consilio; prudentia, & ea, quam sibi comparauerat, auctoritate prorsus auertebat. Sapientis. n. esse dicebat consilio potius; quàm bello decernere. Quibus sane' artibus regno admodum pacato potitus est. Ipseq; pacis, & concordiæ studiosissimus, vt vniuersa Italia eo, quo ipse fruebatur, bono gauderet, ad omnium Italorum Principum seditiones, ac turbas componendas, bellaq; dirimenda sese conuertebat. Rem. n. suā agi dicebat, si bello; atque hostilibus armis vicini populi vexarentur, tātaq; erat apud oēs ipsius auctoritas, vt a' dissidētibus inter se, Principib. conciliandorum animorum arbiter eligeretur. Ea. n. erat ipsius in rebus tractandis, tum dignitas, tū gratia, vt omnes nephas propemodùm ducerent a' grauissima ipsius sentētia dissentire. Cum vero' Borsius statuisset illi vniuersam ditionem relinquere, cui vel propria virtute, vel iure deberetur, ne forte ab hoc proposito filiorum amore, si fortè aliquos suscepisset(Peracre. n. res hæc calcar habet) remoueretur, noluit in re tam ardua, de se periculum facere. hacq; de causa cœlibem vitam agere, quàm vxorem ducere maluit. Hic in corporis cultu plus æquo ambitiosus fuit. Fœmore. n.

aureo , aureaq; vsque ad genu lacerna, seu mauis clamyde, (cuius prior, posteriorq; pars ęquis interuallis à summo, ad imum in fistularum morē erant egregiè cōplicatę) & pileo serico, oblango, & in fastigium deducto, auro, & gēmis uariè picto ornatus incedebat. Cęterū ī populis regendis cōsilio, & prudētia nulli Principū cessit. Regię aūt, ac magnificę liberalitatis titulū (vel ꝙ aliena se dono dare cognoscebat, vel quòd regiū duceret multos benefica liberalitate promereri) sic sibi vendicauit, vt eius nomē in prouerbiū abierit de īpēdiò liberalib. ad largiendū.n. ipsum natura adeò pronum fecerat; vt tenue ēt, & agreste munusculū ingēti munere cōpensaret. Nihil.n. firmius possidere sibi ꝑsuaserat, quàm ea, quę bonis, & merētib. liberaliter muneri dabat. Hac liberalitate Federicū .III. Romanorum Imperatorem. MCCCCLII. XV. kl. Feb. sic lautè hospitio suscepit, vt in alterius Imperatoris domū venisse, Imperatori videretur. ab hoc in tota ditiōe Imperatorio diplomate cōfirmatus, illustriori titulo Mutinę, et Regii Dux vocatus fuit. Quod sanè Ducis nomē à Lōgobardis, qui post Gothos, Italiā occupauerāt, originē traxit. Ea.n. tēpestate, illis populis, ꝗ̄tunuis barbaris, Regiū nomē nō minus infensum erat, quàm dictatoris. S. P. Q. R. Et vt Octauianus, ne inuidiā sibi cōflaret, Cęsaris dictaturā ad Impatoris appellationē cōuertit, ita Lōgobardi, post Cephis necē, quos antea reges noīabāt, Duces vocarūt. Quo sanè noīe ab Impatore Borsiū donatū videmus, qui ēt. 1471. 18. kl. Maii. Piū Pōt. Max. qui pio admodū animo, quamplurimis Christiani orbis

Borsius Mutinæ et Regij Dux creatus

Principib.cõtra Maumethẽ excitatis(quos ĩter nõ postremũ locũ Borsius obtinebat)ĩ Turcas expeditionẽ parabat, cum Mãtuã accederet, et ĩde regrederet, magnificé hospitatus est. Cum vero Paulum. II. Pontificem Maximum splendidissimo apparatu Romam salutatum iuisset, ab eo. MCCCC. CLXXI. eodem titulo. Primus Ferrariensium Dux creatus fuit. Qua sane nominis dignitate omnes Atestini Principes in posterum honestati fuere, & , vt priores antea Vicarii nomine Ferrariensem ditionem tenebant, ita posteriores veri vrbis Principes, hoc Pontificio decreto, ampliori titulo extiterunt. Sed hac dignitate Borsius non diu lætatus est. Nam Roma Ferrariam reuersus anno eodem. XV. kl. Septembris, lætali febre ex itinere concepta, magno totius populi luctu, ac desiderio, viuere desiit. Quas Albertus auus Schiuanoiæ ædes ædificauerat, Borsius ad splendidiorem speciem altiùs prouexit, Castrum vetus instaurauit, aliaq; etiam magnifica loca cum Ferrariæ, tum foris a fundamentis erexit. Cartusiensibus religiosis cœnobium illustre, ac amplissimis redditibus refertum, maximis sumptibus construxit. Quo in loco cum annos. XXII. regnasset, in eo, quod ipse viuens, mortalitatis memor, sibi parauerat monumento, sepultus fuit. Huius Principis imperii anno. II. Turcarũ Impator Cõstãtinopolim & eiusdẽ Impii ãno. II. Eubeã insulã, Nigropontũ hodie dictã, quæ Aegeo, & Icario pelago alluitur, tã iniquo Xpianorũ fato, ne dicã segnitiæ, atq; ignauia, occupauit, vt ẽt nũc ĩ Turcarũ sint potestate.

Borsius p̃ Ferr. Dux creatus.

DE HERCVLE.I. FERRARIEN. DVCE .II.

Hercules, qui non ſine Deorum numine in Ateſtinam familiam Herculis nomen primus inuexit, Nicolao parenti XII. Ferrarienſium Princeps ſuccedere debebat, regno à duobus fratribus nothis ſibi occupato. XIIII. Princeps extitit. Hic, vt ex eius imagine colligi poteſt, quam iiſdem magnificis in ædibus Hercules nepos, vnà cum reliquis Ateſtinis Principibus, manu magiſtra pingi curauit, generoſi; martiiq; ſpiritus, ac ſpecioſæ virtutis heroicam indolem præ ſe ferebat. Ipſi (quaſi non ſecus ad labores, & ærumnas, quàm olim Herculis natus eſſet) fatali planè ſorte, & tacito quodã mẽtis præſagio Herculis nomen à parentibus ĩpoſitũ videri poterat. Infans. n. à Leonello fratre notho (quod iam narrauimus) qui illũ magnificé alere, & ſaltem ad regni ſpẽ erigere debebat, ab omni ditione eiectus, Neapolim exul miſſus, variis, & illis grauiſſimis; incommodis affectus fuit. Primum ipſi infanti in ſuſpicioſa, ac omnium maledicentiſſima aula immane illud inuidiæ monſtrum, & bonis omnibus infenſiſſimum, cœu multorum capitum Hydra, ſuperandum ſeſe obtulit, quod ſane non igne; non claua, ſed virtute, ac ſapientia fortiſſimè confecit. Vis. n. viuacis illius ingenii, animusq; generoſus, iniquos omnes maleuolorum conatus fortiter ſuperauit. Ipſe. n. ſe ipſum ſupra æta

tem excitauit ; et Regis animum studio, cura, officio, diligentia, ac vrbana comitate sic sibi deuinxit, vt lætiferis maligni liuoris morsibus apud ipsum imperuius fuerit. Cum verò adoleuit Heroicus etiam in illo animus, vnà cum ętate, sic creuit, vt in robusto corpore prudentia viguerit plus quàm senilis. Ad bellicas actiones, vbi primũ per ætatem licuit, se totum conuertit, & fauentibus, hac in parte, fatis; in prœliis, eius virtus mirificè enituit. Laudis enim, & gloriæ amore succensus, non modò veteranos milites superabat; sed ipsos exercitus Imperatores, ac Duces, constanti, imperteritoq; animo, ac felicissimo ęquabat successu. Cum Galeactio Pandonio, equite illustri, & bellica laude insigni, quòd creditos illi amores parum fideliter habuisset, ad singulare certamen viriliter descendit. Victoriaq; magno cum honore potitus est, qua Regi multò etiam quàm anteà carior fuit; sed quantò apud Regem gratia creuit, tantò maiore impetu ipsum rediuiuus liuor aggressus est. Nam dum his studiis, hocq; vitæ instituto sibi decus pararet, & viam ad certam sterneret immortalitatem, ille, cui carissimus erat, Alfonsus obiit. Illiq; Ferdinandus filius successit. Qui, cùm Herculem vidisset virtute sibi præstare, non satis æquo animo ferebat, eum illa in aula, in qua ipse Principem locum tenebat, maiorem indies egregiis factis gloriam acquirere, vnde maleuolis Atestini clàm maledictis inuadendi amplissimus patefactus est locus. Regios.n. Proceres, non secus ac regem, pigebat impuberem ferè adolescentem videre virtute, &

tute, &

tute, & laude bellica sibi præstare, hacq; eius præstantia extincti Regis amorem, præ cæteris omnibus, promeruisse. Quare cum timerent, ne Ferdinandi etiam animum iisdem artibus sibi conciliaret, apud illum conquesti sunt, quod Tyronem veteranis, externum ciuibus Alfonsus præposuisset, ipsumq; orarũt, ac, obsecrarũt, vt maiorem Procerũ suorũ rationem haberet, quàm anteà habuisset Alphonsus. Quibus querelis Ferdinãdus, cuius iam animus erat exulceratus, commotus se mente ab Hercule parum alienata cœpit ostendere. Quod cum animaduertisset adolescens ad nobilitatem, & ad animi magnitudinem natus, Regem conuenit: Dixitq; se eò vsque eum, qui anteà fuerat, erga illum futurum, quò suus apud ipsum sibi esset locus, quod si secus statuisset, rogabat, obtestabaturq; ne ægrè ferret si ipse etiam se aliò flecteret, quia apud illum viuere nolebat, cui minus quàm anteà gratus videretur. Sciebat enim se nulla sua culpa, sed inuidiorum potiùs opera, in eos fluctus incidisse, quos illi, vt eum submergerent, malignè concitauerant, sed daturum se operam, ni Rex sententiam mutaret, vt in portum sese reciperet. Admiratus est Ferdinandus iuuenilis animi ardorem, seq; sui cœpti propè pœnituit. Verum, inuido, atque importuno Procerum impulsu, à priore non recessit instituto. Hercules his de rebus omnibus Borsium certiorem fecit, qua sanè re indignatus Borsius Herculi iussit, vt ad Ioannem Angioinum; qui tunc cum Ferdinando bella gerebat, mutatis consiliis, è vestigiò se conuerteret, neque vlla ratione

M

pateretur, se apud Ferdinandum minori esse in æstimatione, quàm fuisset apud Alfonsum. ingratoq; Regi ostenderet, quàm iniquum esset, eum Ducem, qui Regiis partibus semper fauerat, minus honorificè habere, quàm par esset. Hercules fratris dicto actutùm audiuit. Seq; cum equitum suorum ala ad Angioinum recepit. Cumq;, castris collatis, hostes, paribus viribus instructi, in aciem venissent, Hercules ingruente hostium equitatu, uiso inter cataphractos Rege; galea, & cristis conspicuo, in eum citato equo, alacer se contulit. ille, aduersarii impetu territus, admotis equo calcaribus; quantòcyus potuit, fugam arripuit, parumq; abfuit, quin captus illatæ Herculi iniuriæ pœnas dederit. Sed pernici quadrupedis cursu periculum euasit. Verum non adeo celer, quin ense posteriorem aureæ chlamydis partem ab eius humeris Hercules absciderit. quo successu lætus abscissam vestem, in trophei signum; manu gestans, magna animi alacritate, ad suos reuersus est, & ob terrorem, pauoremq; eo die hostib. iniectũ Angioini, si felici oblata occasione vti sciuissent, aduersariorũ copias penitus attriuissent, Et victoria, quæ mox lubrica ab eorum manibus ellapsa est, proculdubio potiti essent. Inde postea Hercules à Borsio cum fratre Sigismundo reuocatus Mutinensi ciuitati regendæ, magno totius populi gaudio, præfectus fuit. quare ingens dolor, ac cura Nicolaum occupauit, verebatur. n. ne suæ auctoritatis acies apud patruum hebesceret. Hercules ea in functione non minus prudenter pacis munia obiuit, quàm fortiter res

bellicas aggressus esset. Verum cum Illustris illius fama per vniuersam Italiam magna cum laude vagaretur, omnesq; exploratum haberent, nihil in Hercule desiderari, quod in optimo Imperatore requiratur, à Duce, & Senatu Veneto anno à Virginis partu. MCCCCLXVII. VI. kl. Martii. MCCCC. equitibus præfectus fuit. quibus cum (venia petita) armis, & equo conspicuus, aspectuq;, & ore venerabilis, magnis totius populi, legitimam Nicolai prolem agnoscentis, acclamationibus, & Duce Borsio hilari vultu spectante, Ferraria per medium forum pertransiuit. quo transitu omnium animos sic sibi conciliauit, vt tacito ciuium omnium consensu Dux fuerit expetitus. Venetisq;, ea in cruenta pugna, quam. X. Kl. Sextilis in agro Bononiensi apud Ricciardinam Mollinellæ proximam cum hostilibus, & illis infensissimis, copiis habuerũt, strenuam, atque illustrem operam præstitit, quo in conflictu Hercules, ictu fereæ glandis à Bartholomæi Coleonei exercitu æneo tormento emissæ (primum. n. aiunt ipsum fuisse, qui tormenta, quibus vrbium mœnia quati consueuerant, in pugna ad milites feriendos, & acies terendas, præter vsitatam in Italia belli consuetudinẽ, barbarico more cõuerterit) in extrema dextri pedis parte, grauissimum, ac lætale propemodum vulnus acceperit. Nec tamen priùs se pugna exemit, quàm Venetorum copias in tuto, extra omnem periculi aleã, positas viderit. Ex eo Dux Borsius castrum nouum, quod Nicolaus vtriusque pater condiderat, illi incolendum conces

sit, quod ab Hercule pro certo, ac felici ad regnum suscipiendum omine acceptum fuit, certo. n. quodam mentis præsagio sibi persuasit, se debere in patrio solio sceptrũ tenere, quando ab illo regiæ genitoris ædes habitandę concessę fuerant, cui ipse optimo iure erat successurus. Intereà cum Borsius Romam Paulum. II. Pontificem Maximum salutatum iuisset, Herculem fratrem, & Nicolaum ex Leonello nepotem secum perduxit. Et cum castrum quoddam ligneum, Romæ ludicræ pugnæ gratia, oppugnandum propositum fuisset, essetq; in eo belli simulachro Nicolaus Herculi oppositus. Nicolaum, & socios Hercules expugnauit. Quo sané successu, vir prudens, qui ex historiis didicerat Marcum Antonium, ita ab Octauiano à toto Romano imperio eiectum fuisse, vt illi in ludis semper præstiterat; idẽ etiã iisdẽ indiciis sibi breui euenturũ sperabat. Nec sanè concepta spes ipsum fefellit. Nam cum Ferrariam reuersi essent, Borsioq; ob lætalem ex itinere conceptum morbum, extremus vitæ dies ĩmineret. Hercules solers, & vigil occasione cognita, secreto in regnum incumbebat apparatu. Quod cum Nicolaus animaduertisset, gemens, & plorans ad Borsium se contulit, illum orans, vt eam extremo in vitæ actu, nepotis sui rationem haberet, quam anteà habuerat. Cæterum Borsius (vel quod Herculem regnum, quòd ipsi iure debebatur, virtute etiam promeruisse cognosceret, vel quod veré Nicolao timeret, quia illum videret ignauum & imbellem; cum strenuo, & variis, difficillimisq; bellis

duce assuefacto rem, impari congressu, esse habiturum) illi suasit, vt quod imminebat vitæ periculum, è vestigio Ferraria fugiens, euitaret. Quod cum Nicolaus fecisset; Hercules, aduersæ fortunæ iniuriis superatis, Borsio extincto, veteris dominatus possessionem, & iura totis annis. X X X. à duobus nothis fratrib. intercepta. MCCCCLXXI. magno patrum, & populi plausu, regenda suscepit. Cũ vero Nicolaus Mantuã appulisset, & à Mãtuę Principe auxiliũ peteret, ab eo vehemẽter reprehensus est, ꝙ se regno eiicere incõsultè ꝑmisisset, difficillimũ illi inquiẽs in vrbẽ ꝑ fenestras aditũ futurũ, qui per portas ĩprudenter exiisset. quod quidẽ res ipsa cõprobauit. Nã cũ audiisset Nicolaus Herculẽ Ferrariæ abesse, tumultuario exercitu Mãtuę instructo, & occasiõe inauspicatò arrepta, de ĩprouisò Ferrariã ĩuasit, sperãs, ipsi Ferrariæ inter nobiles alto, tumultu concitato, & Hercule absente, oẽs nobiles pręstò futuros, illorũq; ẽt hortationib. plebẽ, rerũ nouarũ cupidã, aduersus Herculẽ arma capturã. Sed spe sua frustratus fuit. Nemo. n. nobilis; nemo popularis ne digitum quidem attollere ausus fuit. Et Sigismundus Herculis frater, repentina ciuium; ac rusticorum manu coacta, vniuersas Nicolai copias fortiter strauit. Et ille, qui dominationem iniuria, & dolo à legitimo Principe eripere tentauerat, impio, ac infelici conatu, immaturam sibi mortem parauit. Quo sanè interitu Hercules eò vsque regnum tranquillum, ac pacatum obtinuit, quò vsque Veneti, posthabitis magnanimi Principis, in illam rempublicam meritis; nimio

promouendi imperii studio impulsi . M C C C C L X-X X I I . *omnibus copiis terra; padoq; in illũ conuersis, & finibus vastatis, agris incensis, castellisq;, ac vicis direptis, adeo' acre bellum Ferrariæ intulerunt, vt ne a' potentissimo quidem Rege diutiùs sustineri posse crederetur. Verum Hercules, visa hac acerbi fati sæuitia, & fortunæ iniquitate, qua cum sæpius colluctatus fuerat, tam magno, ac repentino in discrimine animum non despondit. Sed audax, & promptus, & se ipso maiorem ostentans, forti, ac imperterrito animo, toto biennio, hostilem impetum sustinuit, & multas hostibus clades fortiter intulit, eorumq; omnes conatus irritos fecit. Quare cũ Veneti, belli diuturnitate fessi, de victoria desperassent, Ludouico Sforcia pacẽ inter ipsos, & Herculem procurante, tandem fœdus percusserunt. Et* M. CCCCLXXXIIII. *Ferrariam obsidione liberarunt. Hercules, rebus cum Venetorũ Repub. cõpositis, adeo' tranquille' consenuit, vt cum Carolus Rex Gallus aduersùs Neapolitanos Reges, funesto totius Italiæ fato, superatis alpibus bellum gereret, Et Valẽtinus Cæsar Carolo iunctus omnes Pontificiæ ditionis regulos, aut vi, aut dolo dominatu eiiceret, ipse vrbes suas omnes ab omni iniuria incolumes seruauerit, & ad vrbis pomœria promouenda conuersus, quam vrbem, angustis finibus septam, regendam susceperat, non solum dimidio' maiorem, sed magnificis etiam ædibus, templisq; amplissimis auctam, multo' illustriorem quàm acceperat, posteris reliquit. Interea vero Galeactius*

ille Pādonius, quo cū ad singulare certamē Neapoli descēderat, forte fortuna Ferrariā appulit, suum aduentū quanto maiori potuit studio Herculem cælans. Presensit tamen Hercules Pandonium Ferrariam aduentasse, quare equites aliquot nobilissimos eum ad se vocatum misit, quod licet ille semel, atq; iterum negarit, tamen illis instantibus, veritus ne si pernegaret sibi vis tandem inferretur, ad Herculem (quanquam inuitus) accessit, & cum, deiectis humi luminibus, pudibundus staret, Hercules, vultu ad lætitiam, & vrbanitatem composito, subridens, Ecquid, inquit, Pandoni, in me oculos non attollis? non sane adeò ignaue me tecum gessi, cū inter nos de virtute periculum faceremus, vt me intueri te debeat pudere. Mox ipsum amanter amplexatus, magnificis muneribus honestatum dimisit. Magnificum vero factum, & eo Principe dignum, qui vnà cum armis odium ponere maxime regiū arbitraretur. Deerant Herculi latinæ literæ; quod nimia fortunæ iactatione, ad illas animum conuertere nequiuerit: Verum cum nescius non esset, rerum pulcherrimarum cognitionem summis Principibus, & ad se ipsos, & ad populos regendos esse vsui maximo, totius humanitatis professores plurimi semper fecit, ab illisq;, & recte dominandi rationem, & rerum causas, & totius veteris historiæ notitiā auidissimo animo discebat. Inter hos vero in omni disciplinarum genere clarissimos viros floruere Pandulphus Collenucius, Mattheus Boiardus, qui, Celtæ Herois amoribus, Thuscis carminibus descriptis, Areosto nostro illius eiusdem,

} facinus p[illegible]

Celtæ, amorum causa, in furorem iisdem numeris ducendi præclaram materiam præbuit. Titus Stroza, Herculesq; filius, latini poetæ clarissimi, Nicolaus Leonicenus, qui omnium primus Plinium multis in locis errasse demonstrauit, & Medicinam à Barbarorum sordibus, culto, ac eleganti stilo vendicauit, quem nos adolescentes octogneraium in Ethicis magistrum habuimus, Peregrinus Priscianus in Mathematicis probè versatus, & rerum nostrarum scriptor non indiligens. Antonius Cornacianus, vir cum lepidissimus, tùm doctissimus, & ille de quo supra mentionem fecimus Baptista Guarinus. Iureconsulti ẽt ꝓpter iudicia, & consultationes magna apud ipsum in existimatione fuerunt. quos inter duo ciues nostri maximè claruerũt. Alter Ioãnes Marius Riminaldus, qui in iure enucleãdo primas Ferrariæ obtinuit, cuius præclarę eruditionis egregia extant monumenta, quibus per illustris, & explicati doctoris nomen obtinuit, quo in munere obeundo nostris temporibus viro clarissimo successit Hippolytus illi consanguineus, qui nunc, magna nominis gloria, & ingenti auditorum frequentia ius Cæsareum publicè profitetur. Alter verò non minori virtute, ac doctrina præditus Cosmus Pasethus, quem totius ciuitatis oraculum appellare consueuerat, nec me hercle iniuria, nemo. n. veterum patrum scita feliciùs explicabat; nemo prudentiùs, aut sanctiùs de iure respondebat, nemo iisdem de rebus acutiùs disputabat. Hic multas egregias, & præclaras in iure ciuili lucubrationes composuerat, quæ æternis seculis illius

virtutem,

virtutem, ac probitatem testarentur, ni, nepotibus infantibus, ab illis, qui cum natura desides sint (veluti ignauum fucorum pecus) se alienis laboribus illustres efficere conantur, erepta fuissent, & sibi vendicata. Cæterùm in Prospero Cosmi nepote auitæ virtutis lumina adeò elucent, vt videam in illius integritate, et doctrina aui nomen, ac decus felicissimè reuiuiscere. Nec tantùm hmõi literis delectatus est Hercules, sed Comædiæ adeò fauit, vt ludos scenicos, quorum vsus suis temporibus penitùs obsoleuerat, magnis sumptibus, & regio apparatu instaurauerit. Nobilemq; locum posteris pro illis fabulis agendis parare incœperat, perfecissetq;, ni illius cœptis crudelem fata manum iniecissent. Nam. MDIIII. imperii sui anno. XXXIII. VII. Kl. Feb. quo die populo spectacula scenica parauerat, septuagesimum excedens annum extremum vitæ actum absoluit. Eleonoram Ferdinandi Aragonii Neapolitanorum Regis filiam. MCCCCLXIII. V. Nonas Iunii vxorem duxit. Ex qua filios suscepit Alfonsum, Ferdinandum, Hippolytum (qui. MCCCCXCIII. X. Kl. Octob. S. R. E. Cardinalis creatus fuit) & Sigismundum. Fœminas verò ex eadem duas genuit, alteram Isabellam, quam Francisco Gonzagæ Mantuanorum Principi matrimonio collocauit, alteram Beatricem, quæ Ludouico Sfortiæ Mediolanensium Duci nupta fuit. Nothi etiam generis filios duos habuit Iulium, & Lucretiam, quam Hannibali Bentiuolo iugali vinculo coniunxit.

CYN. IO. BAP. GYR.

DE ALFONSO .I. DVCE .III.

Hanc Alfonsi faciem colore subfusco, fronte acri, & seuera; oculis viuacibus, nasoq; ima in parte decenter presso, barbæ, capillorumq; canicie venerabilem, Heroicæ fortitudinis, & constantis animi indicia præ se ferentem tam viuo Duci proximam, Herculis Principis pii filii iussu, Hieronymus Carpus Ferrariensis, antiquis pictoribus conferendus, suis coloribus expressit, vt & Alfonsi Martiam virtutē, et excellentem pictoris industriam egregie' representet. Hic ille est Alfonsus qui. X V. Ferrariensium Princeps patri Herculi successit, ea animi tranquillitate, vt;ni aduersa fatorum vis aliter statuisset, securam, perpetuamq; populo pacem esset seruaturus. Nam sub fronte illa militari, totaq; ad Catonianā grauitatem composita; non agrestis animus, non durus, non immitis, sed vrbanus, facilis, & benignus veluti sub nube latebat. Quæ sane' comitas, humanitasq; necessariis quibusdam, ac domesticis familiaribus, quos ipse, & caros habebat, & multis, maximisq; affecerat beneficiis, vt Alfonsum hostiliter insidiis appeterent, occasionem dedit. Potuissentq; impii homines conceptum facinus ad finē ꝑducere, ni Principis prudentia, ac vigil animus, qui nunquā, vllis fortunæ iniuriis, a' consilii arce deiectus fuit, illorum dolos præuidisset, seq; (facinorosis hominibus digna scelere pœna illata) imminenti periculo exemisset. Qua sane' in re, quanuis acerrima, capitaliq; iniuria affectus, eo animo erga

necessitudine sibi coniunctos fuit, vt pro immani crimine illis carceris mulctam tantummodo indixerit, ratus ab ingenuo homine multo' maiorem iurium sanguinis, quàm alienæ improbitatis rationem habendam esse. Turba hac domestica sedata, alia foris grauissima suborta est. Veneti. n. qui ad ea vsque tempora Ferrariæ in suam ditionem deducendę miro flagrauerant desiderio, idq; sæpius totis viribus frustrá conati fuerant, instructissima classe aduerso Pado perducta; & terrestribus copiis, summa victoriæ spe potiundę adducti, in Ferrariensem agrum irruperunt. Sed secus ac ipsi putarant euenit. Nulla. n. vnquam maior clades Venetis illata fuit illa, quam Alfonsus virtutis ope, & fortunæ felicitate, Hippolyto fratre laboris, gloriæq; socio, & Pontificiis, Galliq; Regis copiis adiuuãtib. illis intulit. Terrestres. n. copias profligauit, & classem (maiore militum classiariorum, remigiumq; parte cum cæsa, tum submersa) ea vi disiecit, vt vix prætoria nauis periculum euaserit. Triremes. n. XV. biremem q; vnã, ingenti magnitudine insignem, mille aliis nauigiis sociis, captiuas Ferrariam duxit, & omnia hostium insignia in suam potestatem redegit, maioriq; templo, magna populi lætitia victor appendit. quam rem Cælius Calcagninus ciuis noster, singulari eruditione, & felici facundia insignis, non minori ingenio, quàm eloquentia, & verè, & eleganter expressit. De iis igitur Alfonsus eo in bello triumphauit, qui terrori, vel potentissimis regibus, esse consueuerant. Poterant hæc Veneta clades omnes Principes a' bello

Hanc et vern. E- nauent. Listoph Ethrusca orat. conscripsit.

illi inferendo deterrere, quòd viderent ipsum, eum animum ad res bellicas attulisse, vt; vel in ipso bellorum ingressu, omnium Ducum, atque Imperatorum famam æquasset, & illata damna, sapienti consilio, & inuictis armis, cumulatissime' vltus esset. Sed illa ipsa rerum humanarum domina Fortuna, quasi ipsam puderet se ab Alfonso superatam, cum illius virtute iterum congredi sibi proposuit, nouaq; illi pericula; nouaq; bella parauit. Nam Iulius Pontifex Maximus cum Ludouico Gallorum Rege aduersus Venetos fœdus percusserat, fœderisq; socium Alfonsum vocarat: Pontificiiq; exercitus Vexilliferum creauerat, illi, & re, & consilio strenuam operam nauauit Alfonsus, sicq; de Pontifice, & de fœderatis omnibus meritus est, vt, si pares meritis gratię, Alfonso referendæ fuissent, aliud illi potius imperium addere, quàm illud, quod auiti iuris erat, auferre debuisset. Sed homo Ligur, nunc harum, nuncq; illarum partium, & natura ad bella ex bellis serenda sic pronus, vt vnius belli terminus alterius esset initium, consiliis inuersis, quos Venetos bello appetierat, & pené oppresserat, in clientelam accepit, & à Gallis eo animo defecit (quod ex euentu mox cognitum fuit) vt in omnem Alfonsi ditionem, vná cum Venetorum copiis (quos, receptæ cladis memores, omnem sibi aduersus Alfonsum operam præstituros non temere' confidebat) de improuisó irrumperet, & vniuersam belli molem in eius caput conuerteret. quod vt faciliùs consequeretur, à Rege Gallo Alfonsum remouere conabatur. Quare illi Pō

tificia auctoritate iussit, vt Gallorum societatem non solùm desereret, sed, veluti Pontificiæ ditioni suppositus, Pontificis viam ingressus, in illos arma conuerteret. Alfonsus autem, visa lubrica Pontificis fide, id quod erat suspicatus, Pontifici respondit, se Gallis, ex fœdere Pontificiis auspiciis percusso, adhuc teneri, suæq; non esse fidei, ac dignitatis illos, vel deserere, vel hostiliter aggredi, quos, & Pontifex, & iurata Deorum immortalium numina sibi ex pactione coniunxerant. Quare ipsum supplex orabat, vt sibi cum illis in officio permanere liceret, à quibus, cum nulla odii, aut inimicitiæ causa esset oblata, non sine perfidię, & periurii nota poterat amoueri. Hoc responso Iulius, qui pugnaci erat ingenio, & ad irascendum, vel leui etiam de causa, natura facillimus, valdè excitatus, quam in pectoris abdito cœlauerat, in Alfonsum inimicã voluntatem patefecit. Nam, religionis prætextu contumacem animum opperiens; ipsi, tam quàm impio, pro beneficiis in eum collatis, pro in se potentissimorum hominum odiis concitatis, vt ipsi Pontifici præsto' esset, aqua interdixit, & igni. Hoc sanè Alfonso tam molestum fuit, quàm quod maximè. Id tamen ipsi tanta in iniuria, tantoq; in discrimine magno erat solatio, quòd aliena potius inconstantia, quàm sua causa, id sibi contigisset. Verùm in iam concepta sententia, & pacto cum Gallis fœdere, eò sibi magis persistendum iudicauit, quò Iulium in se magis concitatum videbat, ipseq; sibi gratulabatur, quòd se, & ditionem vniuersam potiùs, quàm fidem suam pericli-

Alfonsi fides incorrupta.

tari statuisset. Nihil tamen interea intentatum relinquebat, quod ad Pontificem leniendum aptum videretur, & quæcunque illi crimina ascribebat, vicioq; dabat, per internuncios æquis admodum rationibus refellebat. Cæterum exulceratus Pontificis animus, nullis rationib. nullis precib. nullo ingenio sanari potuit, nec illius conceptum odium expiari. Iulius.n. arma expediri iubet, & Alfonsum regno excludi, ac deturbari. In eumq; quicquid copiarum habebat repente conuertit. Et vna cum Venetis belli sociis, veteribus Alfonsi hostib. quæ Pontifex auertere debebat bella, optimo pcincipi acerbissime ītulit. Ferrariēsē.n.agrum vastare, & populari non distulit. At Alfonsus inuicti animi magnitudine sese hostibus opposuit, fuditq; sæpius Venetorum copias, & omnibus belli artibus nullam omittebat occasionem, quæ, magno hostium damno, se non minus fortem, quàm prudentem posset ostendere. qua sane re hostes etiam ipsos in sui conuertebat admirationem, quod eum ad omne egregium militare facinus promptum, ac paratum viderent. Interea autem Iulius (Alberto Pio Carpensi ob veteres cum Alfonso inimicias Pontificis animum, vt sibi seruiret, ab omni honesta cōditiōe amouēte) nō solū hostili, apertoq; marte Alfonsi ditionē occupare perseuerauit, sed Mutinam, ac Regium Lepidi, eorum perfidia; ac dolo, quos Alfonsus sibi fidos putabat, in suam redegit potestatem. Minuit sane Iulius suis insidiis Alfonsi imperium, sed generosi illius animi vim ne tantulum quidem labefactauit; quin eo ardentior se ad bel-

lum parauit, quo' vrbes dolo arreptas virtute, ac fortitudine vendicare sibi proposuerat. Gallicæq; copiæ imploratã ab Alfonso opem non distulerunt. Nam Ambosius Regis prę fectus Pontificem, qui Bononiæ tũc erat, sic inuasit, vt ipse sibi, & rebus suis maximè cœperit timere, & si eo, quo cœperat, animo Ambosius, continuata impressione, bello instetisset, Gallorum impetum Iulius euadere non potuisset. Sed cũ audiuisset Ambosius oẽs Europę Reges in Gallos à Iulio excitatos, panico quodã terrore perculsus, quàm citissimè Mediolanũ se recepit. Hinc Iulius, occasionem nactus, Pontificias cohortes ad Zaniolam fossam, vt Ferrariensem agrum vastarẽt, latèq; popularentur conduci iussit. Quæ sanè copiæ, pręda ingenti sibi comparata, locoq; illo occupato, vnà cum earum pręfecto securæ, & nimium sibi confidentes moras trahebant. Et ecce Alfonsus cataphractis, & omnibus leuis ãmaturæ equitibus tacitè in vnum coactis, vna' cum numerosa peditum manu, nocte intempesta, ea in fossa ponte ex multis nauibus repentè confecto, in hostes impetum fecit, eosq; ea felicitate cædit, fugauitq;, vt omnia, quæ hostes ex Ferrariensi agro iã arripuerãt, recuperauerit. Et hostium castris occupatis, ditem militibus suis prædam præbuerit. Moxq; cum tormentis, vexillisq; hostium, toto equitatu, ac peditatu incolumi; & sibi socio, victor, & exultãs, magnis populi acclamationibus; in vrbem se recepit. Cum vero' Ferrariam, quam ex ciuitatibus antea' possessis, sibi Pontificius furor solam reliquerat, non satis munitam habe-

ret, vt fidissimum populum, quo se maximè munitum cognoscebat, tutiorem redderet, Ferrariam latissimo muro circundare, altissimis aggeribus, in collium morem, profundissimisq; fossis sepire, propugnaculis vndique aptissimis locis fulcire, tanta cum celeritate adnixus est, vt ipse hostis hominis ingenium, & festinatum opus obstupuerit. Intereà dum Pontifex Gallos lacesseret, multas accepit clades, quibus resipiscere poterat, agnoscereq; se, Deo opt. max. irato, aduersùs eum Principem arma sumpsisse, qui Sanctam Romanam Ecclesiam non nouercam, sed mitissimam matrem habere meritus erat. Præsertim cum, bello à Pontifice contra Venetos suscepto, se, suaq; omnia cum sede apostolica periclitari, quàm, cæteris iunctus, incolumitatem sibi comparare maluisset. Sed Iulius, concepto illo furoris ardore concitus, in sententia perseuerauit, & quanuis hisce cladibus mònitus fuerit, tamen se noluit à proposito remouere. contra Alfonsus, qui nullam Pontifici iniuriam intulerat, sed illatam propulsare nitebatur, nihil prætermittebat, quod ad hostis conatus ludendos attinere videretur. Iulius intereà, Gallos, quos à principio Italia expellere cogitauerat, quòd Alfonso presidio essent, quãto maiori poterat studio, persequebatur. Illis. n. exactis, Alfonsum quàm facillimè regno expellere posse sibi persuadebat. Vt verò voti compos efficeretur, Hispaniæ Regem, & Maximilianum Cæsarem aduersùs Regem Ludouicum concitauit. quò ipse vndequaque lacessitus, Alfonsum desereret, & vltra Alpes ad sua

tutanda

tutanda in Galliam se reciperet. Cæterum Rex hac belli iniuncta mole nihil perterritus, cum Alfonso in officio, & fide permansit. Et in Gallia cum fœderatis Regibus hostilem impetum sustinuit, & quam in Italia sumpserat prouinciam nõ intermissit. Præclaram illi Alfonsus operam animo; req; præstabat. Qui, vt Hispanos, qui ad Mediolanum expugnandum, Petro Nauarro duce, & Pontificiis auspiciis, contendebant, à cœpto itinere auerteret, vel saltem euntes reprimeret, ac retarderet, & quęcunque illis posset damna inferret, Arcem ad Zaniolam fossam, quam Bastiã appellant (Arx hæc est in agro Ferrariensi in Padi ripa, qua parte Aemiliam alluit, locata) magna militum manu, magnoq; præsidio muniuit. Et loco, & copiis Vestidellum Paganum, virum fortissimum, præfecit. Hic, repentinis incursionibus, multa incommoda, multaq; Hispanis damna inferebat. Quibus quidem Nauarrus incensus, quanto maiore potuit apparatu; Bastiam, tormentis quatit, cuniculis confectis muros demolitur, & amplum militibus aditum; quo ingrederentur, patefecit. Vestidellus, præsenti animo, hostium impetum sustinet, multos obtruncat, alios ab ingressu arcet, alios in fossas pręcipites dat, nihilq; tandem prętermittit, quod ab optimo, & fortissimo duce pręstari possit. Sed hostium multitudine in horas crescente, suisq; iam fessis, & vulneribus affectis, ab oppido se in turrim recipit. Nihil de pugna Nauarrus remittit, tormenta admouet, & turrim ferreis pilis sic quatit, vt cum nulla noui præsi

dii parandi facultas Vestidello daretur, non territus quidem, sed fessus, omniq; auxilio desperato, tandem deditionem fecerit. Nauarrus dedenti fidem dat, illum, milites, & bona omnia salua futura, sed vbi primum vir fortis in hostium potestatem venit, Hispani, nulla adstrictæ fidei ratione habita; ipsum cum vniuersa coborte crudeliter obtruncant. Barbara hæc; & immanis Hispanorum sæuitia eo' grauior fuit Alfonso, quo' fidei prætextu, & dux, & cohors conciderat. Hoc scelere perfidia patrato, Nauarrus validissimo Bastiæ presidio relicto, iter arripuit; Alfonsus copiis collectis, & muralibus tormentis secum ductis, Bastiã contendit, inuadit, tormentis quassat, propugnacula amouet; sed in quatiendis mœnibus lapis, ictu ferreæ pilæ à pariete auulsus, eo impetu in Alfonsi galeam resiliit, vt eum semianimem equo deiecerit. Non cessauit tamen à pugna Cetellionus Gallæ cohortis præfectus, qui vnà cum Alfonso Bastiam oppugnatum iuerat, quinimo milites hortari cœpit, vt cæsi optimi Principis interitum (ipsum. n. extinctum existimabat) vlciscerentur. Quare, Cetellionis hortatu, & Principis desiderio, milites impulsi summa animi, & virium contentione in Bastiam, veluti furentes, irruperunt. hostesq; ad vnum (cum supplicum precibus incensi militum animi minimé flecterentur) interfecerunt, sicq; Hispanus miles, quam perfidia intulerat iniuriam, vltam æquissimo iure cognouit. Lapidis vero' ictus, quem Alfonsus acceperat, galeę beneficio, re minus grauis fuit, quàm creditus fuerat,

Ab fides et hosti seruanda est.

se . n . triduo recepit; & victor atque incolumis Ferrariam reuersus est . Interea Gasto Foisseius, cui totius Gallici exercitus summa commissa erat; expugnata, & direpta Brixia, vna cum Alfonso, qui, & magnam tormentorum vim, & instructissimam cohortem, & leuioris armaturæ militum phalangem, cataphractorumq; lectissimorum alam secum duxerat Rauennam contendit . Eamq; Alfonsus, & Foisseius vndequaque maioribus tormẽtis eo impetu quassarũt, vt nihil magis terribile, magisue horrificum excogitari possit . Erat in Rauennæ præsidio Marcus Antonius Columna, qui viriliter, & magno animo, acrem illam impressionem sustinuit, expectabat . n . promissum sibi; & ab Hispanis, & à Pontificiis præfectis auxilium, quod eo in temporis articulo superuenit, quo omnis feré resistendi spes erat ablata . Cum Gallorum igitur, Hispanorum, Pontificisq; copiæ in vnum se locum recepissent, leuioribus præliis tota die certatum est . Eo vero die, quo Christus, inferorum Rege debellato, surrexit, à Gallorum, Hispanorum Pontificisq; copiis in agro Rauennate apud fluuium Aquadusam, Vitim olim dictum, concordi animo, in aciem descensum est, totisq; viribus vtrinq; pugnatum, nec tãtum hastis, mucronib. aut missilibus, aliisq; id genus armis, sed maioribus etiam tormentis vtrinque militum ordinibus fœda, & grauissima cædes inferebatur, eo tamen successu, vt Gallorum peditatus ferè vniuersus, ab hostium ferreis tormentorum globis prosterneretur . Nutantibusq; Gallorum copiis, magnum

imminebat periculum ; ne , vniuersa peditum acie illisa, totus Gallorum exercitus pessum iret . Victoriaq; Hispanus, & Pontificius exercitus potiret'. Alfonsus , re omni , uigili mentis acie , perspecta ; tormentis in terga , & latera hostium versis, fragore tam horribili , & tam crebris pilarum ictibus hostiles peditum, equitumq; cuneos strauit , vt ne fulminibus quidem tantùm illis damni potuisset inferri , quod etiam non sine aliqua Gallorum iactura (cum iam milites densati vtrinq; manus cōseruissent) effici potuit. Sed, re in angustū deducta, & in ancipiti posita multo' satiùs duxit Alfonsus , paucorū amicorum interitu, atq; incōmodo, hostiū copias disiicere , neciq; dare, quàm illis paucis seruatis , longé maxima Gallorum clade , hostilem exercitum victorem relinquere. Nam quanuis luctuosa , cruentaq; fuerit victoria , res tamen Gallica , quæ illo die penitùs procumbebat ; seruata fuit . Inimicorum vero ordinibus turbatis Alfonsus equo ferox , & mucrone stricto terribilis, generoso conatu , cum cataphractis suis se in hostes palantes immisit , quos non minori vi fudit , ac confecit , quam tormentorum impetu anteá fecisset , sed vt magna Pontificii agminis strage , ita felici Fabricii Columnę fato, pugnæ se immiscuit , illum enim vulneratum , & hostibus , qui illum gladiis , & securibus certàtim percutiebant, vndique septum , ab imminenti necis periculo liberauit , & curandum , sanandumq; summa diligentia Ferrariam misit . Alfonsum , hac visa omnibus seculis memorabili clade , prætensum est, Pontificis in ipsum

odio, tantum Christiani sanguinis effundi. Eundemq; ea arma, quæ pii homines in religionis hostes conuertere debebant, nostro sanguine madida, ac rorantia videre maxime piguit. Quare, quod Pontifex ipse, pro dignitatis maiestate, & pro sacrosancti muneris decore, & cogitare, & facere debuisset, Alfonsus conari voluit. Et, quanto maiori potuit studio, operam dedit, vt ille feruidus ire ignis, quo Iulius flagrabat, suo etiam damno, penitus extingueretur. Idq; sæpius per internuntios, Fabritio Columna auctore, qui iam sanus, & liber se Romam contulerat, tentauit. Flexit se paululum Iulius, Columnamq; in spem duxit, se ea omnia amplexurum, quæ, & ad Alfonsi quietem, & ad Reipub. Christianæ incolumitatem attinere videbantur. Intereà, Fortuna alternatim pro libidine vices mutante; res Gallorum inclinari, & adeò in peius ruere cœpit, vt Galli, vrbe Ticino expulsi, vltra Padum Italia discedere coacti fuerint. Mirũ dictu, quantum hoc successu Iulius elatus fuerit, quãtumq; animi in Alfonsũ iterũ cõceperit. Alfonsus aũt, qui, suo ẽt incõmodo, publico totius Christiani orbis cõmodo cõsulere statuerat, Prospero Colũna fidẽ suã illi obsidẽ dãte, Romã supplex ad Põtificẽ se cõtulit, & illius pedib. de more, aduolutus veniã petiit, Iulius, vultu ad lenitatẽ, & clemẽtiã cõposito, Alfonsũ in spẽ veniæ obtinẽdæ deduxit, sed clàm (Alberto Pio Carpẽse, vetere Alfonsi inimico, suasore) ipsũ captũ in carcerẽ cõiici procurabat. Sẽsit Fabricius; præter omnem suam opinionẽ, Pontificis dolos, et ne iurata ab

ipso Alfonso fides periclitaretur, eum mentito habitu indutum Roma ad suæ ditionis oppidum conduxit. Moxq; Alfonsus variis diuersarum vestium generibus indutus, Pontificis diligentiam, qui ad eum perquirendum, ac capiendum sagacissimos miserat exploratores, ingenio, atque industria tam mirificè elusit, vt sese incolumis Ferrariam receperit. Palàmq; sæpius dixit, hominis Liguris non fuisse Principi supplici veniam generosè concedere. Aegrè tulit Iulius prædam, quam plagis circunseptam videbat, laqueos euasisse; sed Alfonsum Gallico præsidio priuatum, se paruo temporis interuallo, Ferraria depulsurum sperabat. Cæterùm non serus vltor Deus opt. Max. qui homini iam senio confecto, & totius veræ religionis Principi; tot illatis cladibus ostenderat, non decere Pontificem ira duci, rabidoue furore impelli. Quiq; illi tam pulchram occasionem veniæ Alfonso præstandæ obtulerat, illius iram, tanto mortalium malo, vlterius progredi ferre non voluit. Et, ne optimus Princeps illius furentis præda deueniret, immiso alui profluuio Iuliũ ex hac vita sustulit, qui hominem insontem regno priuare cupiebat. Huic suffectus fuit Ioannes Medices. qui Pontifex creatus nomine, de more, mutato; se Leonem appellauit. quod sanè Alfonsum incredibili affecit lætitia. videbat .n. inquieti animi, turbulentisq; ingenii viro, eum Pontificẽ successisse, quem nec bellorum cupidum, nec turbarum excitatorem fore putabat. Sperabat etiam ipsum à nobilissima familia ortum; ab ea indole, quam antea præ se tulerat,

& ab ea animi magnitudine , quæ maioribus suis fuerat peculiaris non degeneraturum. memoremq; etiam futurum eorum officiorum , quæ , & ipse Alfonsus , & vniuersa gens Atestina, & ĩ Leonem , & in omnes maiores suos liberaliter contulerant. Quare, hac spe ductus, Romam se contulit Pontificem adorauit , seq; , suaq; omnia Pontificię submisit auctoritati. Leo perbenignè Alfonsum accepit , sacris restituit , prisca vexiliferi dignitate ornauit , & quo die triplicis coronæ decore Leo ornatus fuit , ipse paludatus Pontifici, vt prisci moris erat , vexillum prætulit , ea oris, gestus, & totius corporis dignitate , vt omnium oculos , omniumq; in se ora conuerterit. Delectabatur. n. Romanus populus illius Principis maiestatem , ac Martiam faciem intueri ; cui recẽs apud Rauennam victoria immortalem gloriam comparauerat. Ceremoniis autem illis ritè peractis, Alfonsus magnis, multisq; promissis onustus (quibus Regium Lepidi , Mutinamq;, oppida Alfonso dolo , & iniuria surrepta , vel vltró Leo reddere pollicebatur) Ferrariam reuersus est. Sed omnia irrita fuerunt. Nam vbi Leo Alfonsum diù spe lusit , tandem , eiusdem Alberti Pii consilio , cuius non minor apud Leonem erat auctoritas , quàm apud Iulium antea fuisset , se illi grauiorem hostem , quàm Iulius ostendit , quasi illius , cuius facta imitari volebat , finem non perhorresceret ; & Deos immortales illatæ iniuriæ vindices non speraret. Nec tantum suas illi vrbes , vt pollicitus fuerat , non reddidit , Sed , vt earum vllo vnquam tempore obtinendas

rum spem illi omnem prorsus adimeret. Post emptas à Maximiliano Sfortia, qui Mediolanum, eiectis Gallis, recuperauerat, Parmam, et Placentiam, Mutinam; et Regium, oblata Cæsari pecunia, à Cæsarea, ad Pontificiam ditionem traducere conatus erat. Quod licet alienatum Pontificis animum ostenderet, tamen vir prudens, ac pius non desperauit Deorum immortalium æquissima numina sibi presidio futura, viamq́; ostensura, qua ipse tantam iniuriam euaderet, omnem tamẽ occasionem obseruare non cessabat, qua ipse, vel Pontificis animum, ab iniuria inferenda posset auocare, vel quando compositionis spem desperatissimam haberet, ea, quæ sui iuris erant aliqua, ratione recuperare valeret. Dum res Alfonsi sic se habebant, Ludouicus Gallorum Rex, post varia, ac multa aduersi fati incommoda, instructissimum exercitum parauit, quo iterum, superatis Alpium iugis, sibi ablatas Liguriæ, ac Mediolani ditiones suo iterum supponeret imperio. Sed conceptam his de rebus spem præpropera Ludouici mors intercepit. Successit socero gener Franciscus impubes penè, sed magni animi adolescens, qui cum omnia ad bellum Sfortiæ inferendum à socero parata accepisset, superatis alpibus in Italiam contendit, tum Alfonsi spes; quæ à cœca expectatione diù pependerat, confirmata est. Arbitratus est .n. cum eodem ipse esset erga Franciscum, quo erga Ludouicum fuerat animo, illum etiã res suas non deserturum, daturumq́; operam, vt, qua meliori posset ratione, in vrbium suarum possessionem restitueretur.

Ea

Ea autem felicitate; ac fortitudine Franciſcus Heluetioru͂ *cohortes,quæ pro* Maximiliano *Sfortia ſtabãt,fudit, fugauit, ac diſſipauit, vt quamprimum* Mediolano*, totaq́; illa ditione potitus ſit.* Q*uam illuſtrem victoriam, quoniam ea in oratione,quam in huius ampliſſimi* Regis *funere ad* Her*culem* Principẽ *meũ habui,ampliſſime' explicaui,id tãtũ nũc mihi dixiſſe ſat erit.* Heluetios *eo bello ſic protritos fuiſſe, vt qui ſe antea' gentium omnium domitores appellauerant, tunc magna ſuæ famæ iactura, ſe inani nomine iactari, ab adoleſcentis imberbis virtute didiciſſe.* Leo,*ingẽti hac,et prę celeri tãti* Regis *victoria perculſus, ſibi* Romæ*, &* Etrurię *vniuerſæ maxime' timebat.* Q*uare ceſſandum nõ cenſuit,ne cum* Rege *colloqueretur. Sperabat. n. ſe admodum ſolertem, & cautum, & ingenio ad omnia agenda promptiſſimo prẹditũ,victoria elatum adoleſcentis animum, leniorem efficere, tardareq́; felicem illum victoriæ curſum, quo minus ad ea,quæ* Pontificiæ *erant ditionis,extenderetur.* Q*uanto igitur potuit maiori ſtudio operam dedit, vt ipſe, &* Rex Bononiã cõuenirẽt,*quod vbi firmatũ fuit,* Alfonſus,*qui oĩa temporis momenta vigil obſeruabat, ſibi non defuit.* Per Regemq́; *apud* Pontificem *egit, vt magna etiam pecuniarum vi, quæ ſui iuris erant, ciuitates redimeret, vel quacunq́; alia honeſta cõditione,* Põtifici *grata,recuperaret.* Sed *quanuis id ſedulo* Rex *pertractaſſet, tamẽ* Pontificem *cauſas ex cauſis nectentem,a' propoſito diuellere minime' potuit.* Non *multo poſt tempore viſus eſt* Franciſcus*, qui ad*

Neapolitanum Regnum recuperandum animum conuerterat, vt Pontificem ea in expeditione socium haberet ab Alfonso defecisse, illiusq; præsidium, deseruisse, & Ferrariæ inuadendæ Leoni liberam reliquisse potestatem. Id licet Alfonso acerbissimum fuerit, tamen ipse omni infortunio maior, sua virtute niti statuit, suoq; marte Pontifici (qui ipsi Ferrariam adimere, & Laurentio fratris filio dare cogitauerat) si id forte tentaret sese opponere, eoq; animo vrbē tutari, vt vel eam incolumem seruaret, vel Princeps pugnando fortiter cum patria occumberet. hanc autem Fortunæ acerbitatem ea, qua præditus erat, prudentia sic dissimulauit, vt ne faciem quidem mutauerit, nedum animum desponderit. Orta interim inter Gallum, & Pontificem dissidia sunt, & illa quidem acerbissima. Leo. n. Cæsaris partibus, vt Italia Gallum expelleret, sese addixerat. Hacq; de causa parauit Leo exercitum omnium instructissimum, expeditionisq; Cęsarē cum Germanis, Hispanisq; militibus socium habuit, qui in Franciscum odio flagrabat, quod Gallus Maximiliano Cæsare mortuo, imperii dignitatem ad se deducere tentauerat, et tam dubium Cæsari imperii consequendi exitū fecerat, vt sæpe in suspitionem venisset, ne omnium suffragiis imperii iura ex Germania, in Galliam ; traducerentur. Hoc vehementissimo duorum summorum Principum motu Alfonsus ea Gallo officia præstitit, quæ, & ipsum victorem, & se ab imminenti periculo tutum efficerent. Hac re commotus Leo arma in Alfonsum iussit expediri. Et in

Bondeni agrum per Pontificias gentes ingens, & repentina facta est irruptio, illuc cataphractos, & leuis armaturæ milites; cum expedito peditatu, Padi alueo, ponte ex nauibus constructo, celeri transitu traiecto, celerrimè misit Alfonsus, in alteraq; Padi ripa cum Regia cohorte ipse resedit, Hectoris autem Romani, qui peditatui præerat (hic vnus ex iis tredecim fuerat, qui pro Italæ virtutis gloria, aduersus totidem Gallos in Daunia forti dextra, & felici euentu pugnauerant) vel perfidia, vel ignauia tam insignem cladem accepit Alfonsus, vt ni ex lintribus confectum pontē solui, & in citeriorē ripā actutū trahi iussisset, Pontificius exercitus, expedito itinere, Ferrariam decurrere potuisset. Huius sanè pugnæ exitus (si perfidia vacauit Hector) præclarè ostendit non omnes, qui in vallum ad pugnam descendunt, & victores euadunt, idoneos esse, quibus exercitus summa committatur. In copiarum. n. præfectis consilium potius, quàm manum desiderauerim, eumq; ducem longè potiorem existimauerim, qui prudentia, quæ imminent præuidet, eaq; ingenio, vel vitat, vel superat, quàm qui manu merendo gregarii potiùs militis, quàm Imperatoris munus obiuerit. Quāquam ego Hectorem perfidia non libero, neque etiam Alfonsum Principem, alioqui prudentissimum (liceat quod sentio libere fari) & Ducem omnium sui seculi maximum, hac in parte multum probarim, qui cum bellum, cum milite Romano gereret, fortissimis suæ ditionis hominibus posthabitis, Romano homini potiùs, quàm ciuibus fiderit, & eum suis militi-

bus præfecerit. Reuocauit intereà Leo quas Ferrariã miserat cohortes, q̃ toto exercitu coacto, omni conatu Gallos ex Italia pellere decreuisset. Quod sanè à Placẽtinis, & à Parmẽsib. defectiõe à Gallis, ad Põtificẽ facta, Leoni ꝓ voto successit. Gallis igit' ꝓfligatis, & victoria Leo potitus, ad Ferrariã om nib. virib. ĩuadẽdã mẽtẽ, animũq; cõuertit. Memini me à Lilio meo, quo Leo familiariter vtebatur, semel atq; iterũ audiuisse, Leonẽ ea victoria elatũ, et gaudio exultãtẽ, præ lætitia in hãc vocẽ prorupisse. Ecce Alfonse, nũc te Leo nõ eminus, sed cõminus vngue, & dentib. appetit. Verũ ille ipse Deus, cui insontũ innocentia maximè semꝑ cordi fuit, hac cura Alfonsũ soluit. hũc. n. Leonis conatũ properata mors ꝑuenit. Nã Leo repẽtina febre ob lętitiã correptus, in ipsa victoriæ exul tatiõe, viuere desiit. Alfonsus tãti hostis interitu lętus, ad eã Leonis vocẽ alludẽs, quã in ipsũ emiserat, argẽteũ nummum ꝑcuti iussit, in quo pastor cernebat', q agnũ è Leonis faucib. eripiebat; quem circum hæc sculpta erat in scriptio. DE ORE LEONIS. Leone Pontifice extincto, Alfonsus Regiũ aduolat, eumq;, omnib. ciuib. magno plausu annuẽtib. in suam recipit potestatem. Post multas autem purpuratorũ patrum de Pontifice deligendo concertationes, totis comitiis Hadrianus Batauus, qui tunc Hispaniæ præerat, Pontifex creatur. Vir magis, quàm barbarum deceret, æqui, iurisq; obseruantissimus, & ad omnem benignitatem adeo pronus, vt Principũ Christianorũ animos potiùs officio amicos, quàm iniuria hostes sibi reddere curaret. Ad hunc salutandum, dũ

in Hiſpania erat, miſit Alfonſus Ludouicum Catum, acerrimi ingenii, & viuaciſſimi ſpiritus iureconſultum, qui luculenta oratione (erat .n. in dicendo vehemens) Alfonſi erga Pontificiam maieſtatem propenſum animum expoſuit. Et deploratis Italię, & totius Chriſtiani orbis calamitatib. eũ Alfonſi noĩe ſupplex orauit, vt optatã iam diu pacẽ, diuq; petitã, ſic ſua virtute reuocaret, vt, vnà cũ vniuerſo Chriſtiano cœtu, Alfonſus etiã, poſt tot turbulentiſſimas tẽpeſtates, in ſancto Romanę Eccleſię ſinu, à quo ipſum duorũ Pontificũ cõcepta, pro libidine, odia, veluti furẽtes auſtri, ꝑpulerãt, nõ ſecus, ac in tutiſſimo portu, tãdẽ cõquieſceret. Viſus eſt ęquis poſtulationib. ãnuiſſe Hadrianus. Quare Alfonſus hac ſpe excitatus, cum Põtifex Taracone in Italiam aduentaſſet, Herculem, maiorẽ natu filium, vix adoleſcentem, cum nobiliſſimo apparatu, Romã ad ipsũ miſit. qui parẽtis noĩe, quicquid inter alios Põtifices, & Alfonsũ fuerat cõtrouerſię illius arbitrio cognoſcẽdũ, et, ęquo, bonoq; iure, finiẽdũ cõmiſit. Accepit Hadrianus, quã pręſtãtiſſimus adoleſcens illi cãm obtulerat. Qui mox optimi Principis noſtri rõnib. adductus, odii, & inimicitiarũ cauſis penitus depulſis, illũ ĩ cliẽtelã recepit. et Põtificio diplomate in tota ditiõe, cõfirmauit. Nõ ceſſauit etiã Alfonſus Iulium Medicẽ (quem nõnulli Leonis in Alfonſum odii auctorem fuiſſe putarant) dum Bononię legatum ageret, ſibi quanto maiori potuit ſtudio reconciliare, orareq;, vt veteres ſimultatum cauſę perpetuę traderentur obliuioni, eaq; inter ipſos beneuolentia firmaretur, quæ Medicum

familiam cum Ateſtina tantis annorum ſpatiis in officio, & fide continuerat. Approbauit Iulius Alfonſi voluntatem, & ſe illi amiciſſimum fore, vel ſancto fœderis ſacramento recepit. Cæterum mortuo Hadriano, quem Italia vix annum Pontificem vidit, Iuniorum patrum ſuffragiis, ille ipſe Iulius, qui poſtea Clemens fuit Pontifex ſalutatus, veteribus ſimultatibus in Alfonſum excitatis, nouiſq; etiam odii cauſis conquiſitis, nihil magis auebat, quàm illam Alfonſi Ferraria eiiciendi prouinciam, quam Iulius primum, mox Leo tentauerat, omni conatu perficere, ſed ad id conſilii ſe inauſpicato flexiſſe euentus docuit. Nam quod Alfonſo parabat excidium, in eius caput Deus optimus totum conuertit. Primum. n. Pompei Cardinalis Columnæ, & totius illuſtris eius familiæ, quã Clemens contra ſe irritauerat, auſpiciis, Cæſariani milites Clementem de improuiſo adoriuntur. Vaticanum diripiunt, Pontificem in arcem compellunt, & Diui Petri templum populantur. Hoc ſanè omnipotentis Dei monitu poterat Pontifex ab Alfonſo laceſſendo, & vexando deſiſtere. & quas illi Iacobus Aluarotus, ſummæ prudentiæ vir, & iureconſultus egregius, qui Alfonſi à ſecretioribus erat conſiliis, fœderis, & pacis honeſtiſſimas conditiones obtulerat, non renuere. Sed ferox, qui iam obduruerat Clemẽtis animus; nõ minus ſe in Alfonſum; quàm antea inclementem oſtendit. Tanta. n. illum Alfonſi à regno exturbandi libido inuaſerat, vt id ſolùm cogitaret, id ſolùm aueret, in id ſolùm dies, noctesq; tota mente verſa-

retur, extrema omnia experiretur, vt voti compos effici possset. At Heroica Alfonsi virtus, qua ipse inter tot turbas, tantaq; rerum discrimina egregiè fultus, omnes aduersę fortunæ impetus, vel luserat, vel superauerat, nullis Clementis conatibus vnquam hebuit. Quin eò firmior, & validior in aduersarii vim sustinendam, & ad omnes insidias cauendas, ac declinãdas euadebat, quò ille maiorib. machinis Alfonsum ĩpetebat. Interea, infausto consilio, Clemens Cæsarẽ lacessere meditatus est. Hoc animaduertens Alfonsus, qui varia, & opportuna velificatione, concitatos in hoc vitæ solo Fortunæ fluctus, & aduersã vẽtorũ vim declinare cõsueuerat, cũ post captũ Regẽ omni præsidio Gallico exutus esset, cognito cõtumaci Pontificis animo, suã in rẽ fore duxit, Cæsareo præsidio niti. Et eam effugere tempestatem, quam Clemens, Regii ab Alfonso auferendi causa, à Lanoio Neapoli Prorege concitari studebat. His igitur adductus causis, Alfonsus Cæsaris partibus se addixit. Qui Cæsar Lanoium in Parmensem, Placentinumq; agrum illis cum copiis misit, quas ad Regium expugnandum Clemens cõducere procurabat. Quæ dum illis in locis grassarentur, Germanorum manus ingens, Carolo Borbonio, & Georgio Fraisbergo Ducibus (quorum alter paralisi omnibus viribus ante quàm Romam peteret priuatus fuit, alter Romæ in ipso victoriæ limine ferreæ pilæ ictu mortem obiit) in Italiam descendit. Germani, Hispanis gentibus iuncti, magnis itineribus omni opinione citiùs, Romam contendunt,

vrbẽ inuadunt, ſacra, profana plusq̃ barbarè diripiũt. Clementem, q in Hadriani mole, aĩo cõſternatus, præcipiti fuga ſe receperat, dura cingunt obſidione. Hinc occaſionem nactus Alfonſus, equeſtri, pedeſtriq́; exercitu comparato, & curulibus tormentis expeditis, Mutinam contendit, populus antiquũ, atque optimum Principem agnoſcens; eiectis, qui vrbem Alfonſo dolis eripuerant, illum Dominum ſalutat, ſicq́; nullo incõmodo eam vrbẽ, quàm Pontifices, decẽ, & ſeptẽ annis, fraude, & iniuria occupauerãt; ipſe virtute, ac optimo iure recuperauit. Qua in victoria cum ſciret Alfonſus nihil magis Principem decere, quam clementiam, non modo ea auctoritate, qua eos vlciſci poterat, qui illi tam inſignem iniuriam intulerant, prodigè vſus eſt. Verum ad veniam non minus, quàm ad fortitudinem, promptus, publico edicto omnes pœna liberauit; illisq́;, re omni incolumi, liberam fecit facultatem, vrbem pro libito impune redeundi. Nam beneficio potiùs, quàm metu, & liberali, regiaq́; animi indulgentia omnes in officio tenere ſtudebat. Malebatq́; eos ciues, qui, neſcio quo ſpiritu impulſi, à fide defecerant, ſuæ contumaciæ pudere, quã eos de ipſius probitate, ac clementia diffidere. Exulibus igitur omnibus Mutinam admiſſis, firmoq́; Mutinæ p̃ſidio relicto, voti cõpos Ferrariã ſe recepit. Hæc Mutinæ recuperatio maiori ferè dolore Clemẽtẽ affecit, quàm vrbis direptio, & acris illa cuſtodia, qua in arce diligentiſſimè aſſeruabatur. Se. n. ſic voto fruſtratum videbat, vt quod Alfonſo vltimum excidium meditabatur, illud re in

[Clementia Prin. propria.]

ſe

ſe aſperrimum conuerſum experiretur. Et Mutinam eo in temporis articulo ſibi demptam dolebat, quo ipſe Regium Alfonſo eripere parabat. Cum verò, poſt multa incommoda, multaq; regni, & dignitatis amittendæ pericula, certa pacta pecunia, ſe cuſtodia liberaſſet, geminatis cladibus nihil reſipiuit, ſed inimicos eoſdem in Alfonſum ſpiritus ſuſcepit; eòq; etiam grauiores, quò ipſe, Alfonſi clādeſtino conſilio, vrbem Romam direptam, & ſe captum fuiſſe, ſibi in animū induxerat. Cum vero' duo ad finem optatum perducenda animo concepiſſet, alterum vt patriæ ſuæ libertatem occuparet, quod Cæſaris auxilio fecit, alterum, vt Alfonſum tota ditione priuaret, cenſuit id pro uoto ſibi ſucceſſurū, ſi Carolum Cęſarem, acerbiſſima illa, quam ab eius militibus acceperat clade diſſimulata, in Italiam vocaret. Illiq; Imperatoriū Diadema, quo' integro Imperatoris titulo gauderet (nam ante ſuſceptam coronā deſignatus tantū Imperator appellabatur) vel vltro offerret. Qua ſanè re Cæſari ſignificata, & cōditione ab eodē accepta, Clemēs Bononiā venit, quò ēt paulo poſt cū Imperatoriis copiis Cęſar ſe recepit. Sed antea ab Alfonſo Mutinę, et Regii ſplēdidiſſimo apparatu hoſpitio acceptus fuerat. Ibiq; eū optimus Princeps orauerat, vt pro ſua in Cęſarē fide, ac obſeruātia, et ꝑ ea; qua ille fungebaẗ, Imꝑatoria dignitate, nō ſineret Clementē vehemētius, iniquiùsq; erga ipsū agere, ſuaq; ope, eū tandē ab iis fluctib. eximeret, quib. cū Iulii, & Leonis, tū inexorabili Clemētis ira, diu valdeq; fuerat agitatus, vt eo auctore, illo quē optauerat, ꝗetis portu tādē potiretur.

Ipſumſeq; Imperatoriæ poteſtati, filios; vrbesq; ſubiicere, quibus, perinde ac ſuis, pro arbitrio vteretur. Hicq; ea eloquentia, ad quam non doctus, ſed factus erat; Cæſarem de iuribus ſuis tam egregiè docuit, ſicq; illi Clementem iniuria ſemper egiſſe, tuncq; etiam agere perſuaſit, vt eum facilè in ſuam ſententiam traxerit. pollicitusq; fuerit, ſe, pro iure, & æquo, ſuæ incolumitati, ac quieti non defuturum. Cum verò de aliis multis, & maximis rebus cum Clemente ſermonem Cæſar habuiſſet, tum de ea, quam cum Alfonſo habebat, controuerſia verba fecit, orauitq; ne Italum Principem, Pontificiæ ditioni ſuppoſitum, paratum ſe, ſuaq; omnia extremis omnibus periculis pro Pontificis ſalute libenter exponere, odio perſequeretur, quin illum, candido; amicoq; animo, & ea benignitate, quam Clementis nomine præ ſe ferebat, odiis omnibus deterſis, ac omnibus ſimultatum cauſis prorsùs deletis, in ſuam fidem, ac tutelam acciperet. quòd id eum Principem maximè deceret, qui Chriſti Optimi Maximi vices in terris gereret. Seq; illi multas, ac maximas gratias habiturum ſi ſe ſineret exorare. Hic Clemens, multa, ac varia conqueſtus; ſe omnem controuerſiam illi, veluti arbitro, iudicandam traditurum reſpondit. Placuit Cæſari hæc Clementis ſententia. Et Alfonſo Bononiam; ſub Imperatoria fide, vocato, Cæſar totius cõtrouerſiæ arbiter, publicis cõfectis tabulis, ab vtroq; electus fuit. Qui, poſt multa hinc illinc agitata, re diligenter cognita, ſententiã tulit. Qua Mutinam, & Regium Imperatoriæ ditionis oppida, Alfonſo

habenda iudicauit. Ferrariam vero, Pontificio iuri obnoxiam, certa annui tributi ſolutione, ab eodem etiam, cum omni ſucceſſione perpetuo poſſidendam, ea tamen aureorum nummum ſumma Pontifici ſoluta, quam ipſe ex hac ſententia ſoluendam cenſuerat. Hoc ſane' Cæſaris arbitrium Alfonſo gratiſſimum fuit. Clementi verò, plus, quàm credi poſſit, acerbum. Et animo accenſus, quam ad eius pedes, pro Cæſaris ſententiæ complemento, Alfonſus, ſtata die, nummorum aureorum ſummam per internuntium obtulerat, recipere recuſauit. Sat Alfonſo fuit Cæſaris arbitrio, præſente pecunia, paruiſſe. Et quos nũmos Clemẽs reiecit, pro Carpo Alfonſo Cæſaris decreto adiudicato (eo.n. exciderat Albertus Pius, maieſtatis reus, quod Gallorũ partes aduerſus Cæſarẽ ſecutus eſſet) Cæſareo fiſco perſoluit. Clemẽs, qui vlciſci, quàm parcere malebat, ea ſententia exulceratus, & ab omni iure deiectus, quod nec armis, nec iudiciis perficere valuerat; dolis, & inſidiis (quod etiam antea Leo multis modis tentarat, de quibus luculenta extat Alfonſi ad Cæſarem epiſtola) ad finem perducere decreuit. Concitauitq; in Alfonſi regnum; & caput, nobilem quendam, cui Princeps Regium Lepidi regendum fidenter commiſerat, item Ferrarienſem alium ciuem, ex nobili quidem familia oriundum, ſed omnibus tamen egentem, & extremo pene' ſenio confectum. Qua in re nihil plùs egit; quàm quòd indignam Pontificiæ dignitatis mentem patefecit, & miſeros illos, concepti ſceleris reos, extremo ſupplicio puniendos dedit. Nam Alfonſus,

qui, vt erat ab omnibus dolis nectendis alienus, ita ad eos euitandos omnium fuit callidissimus, insidias sibi paratas praesentit, & reis in quæstione habitis, vbi de scelere fassi sunt, eos ceruicibus abscisis, plecti iussit. Non destitit tamen Pontifex eas omnes technas tentare, quas sibi ad Alfonsum vel necandum, vel de regno deiiciendum profuturas sperabat. Sed non feliciori, quàm antea successu. Spe vero semel, atque iterum frustratus, Massiliam, vt Franciscum Gallorum Regem conueniret, contendit, ibiq; Catherinam iunioris Laurentii Medicis filiam, Henrico, Regis secundo filio; tuncq; Aureliensi duci, nunc verò totius Galliæ Regi maximo, atque inuictissimo; despondit. Arbitror, post communes clades mutuò commemoratas, illis in collocutionibus Clementem apud Franciscum conquestum fuisse de lata pro Alfonso aduersus ipsum à Cæsare sententia, omniq; conatu vsum, vt ipsum ad Alfonsum vnà secum inuadendum traduceret. Sed optimi illius Regis animum expugnare non potuisse, quod Franciscus Alfonsi erga ipsum fidei, & cōstantiæ memor, omni scelere magis scelestum, ac nephanum duxerit, illum hostiliter aggredi, cuius virtute, atq; auspitio res Gallica toties incolumis steterat. Quare, animo æger, & labore diutinæ cogitationis conflictatus, Romam reuersus in diuturnum, grauissimumq; morbum incidit; quo diu cruciatus, magno cum dolore animi, occubuit. Mox Alexander Farnesius, qui Pauli tertii nomen assumpsit, omnibus patrum suffragiis Pontifex creatur. Vir cum ad omnia

ſumma natus, tum ob eius pietatem, atque integritatem ad eam dignitatem, qua nulla maior in terris excogitari poteſt, ſanctiſſime' adminiſtrandam diuinitus electus, & Petri Cymbæ, diu tantis fluctibus agitatæ, præfectus fuit, vt eam ſua prudentia, ac virtute in portum perduceret. Hic Pauli *ad ampliſſimam dignitatem aſcenſus, quod* Alfonſus de Clementis *obitu gaudium conceperat, maiorem in modum auxit.* Hominem *.n. familiæ ſuæ coniunctiſſimum, & omnibus virtutibus ornatum, iuſtitiæ non defuturum, & ſibi æquiſſimum fore ſperauit.* Ne *autem concepto gaudio plenè potiretur obſtitit iniquum fatum.* Nã *vix ad* Paulũ *ſummã illi dignitatẽ gratulatũ oratores miſerat, quòd lætali morbo correptus, poſt tot præclara, & digna immortalitate bellica facinora, ſtrenuus fortuna, & virtute* Imperator *e' vita ſublatus fuit.* MDXXXIIII. *pridie* Kl. Nouembris XXXV. *a'* Clementis *obitu die; anno ætatis ſuæ* LIX. Imperii. XXX. P. M. *Ab his autem rerum humanarũ perturbationib. in æternæ tranquillitatis ſedẽ eo' beatior ſe recepit, quo'* Herculẽ, *grandiorẽ natu filiũ, ingenuarũ omnium virtutum concurſu, & multiplici optimarum artium eruditione apprimè ornatum, pacatæ ditionis hæredem, & ex eo nepotẽ, qui auũ noĩe referebat, in ſpem longæ poſteritatis natũ, duosq; alios egregios filios, quos, vnà cũ* Hercule, *ex* Lucretia Borgia *lectiſſima fœmina ſibi vxore ſuſcepit.* Hippolytũ, *et* Franciſcũ *ſibi ſupſtites reliquit.* Hi *ſunt duo illi fratres, qui etſi concordi inter ſe animo ſemper fuerunt, diuerſas tamẽ*

potenſſimorum Principum partes ſecuti ſunt. Hippolytus.n. Cardinalis Franciſcum Gallorũ Regẽ ſumma prudentia iuuit; ea felicitate, vt eum mirum in modum amarit ſacerdotiis ampliſſimis ornarit; & (cum re ipſe Rex expertus eſſet, nemi nem vnquã ad conſilia ingeniũ pruduntiùs Hippolyto deflexiſſe) eũdẽ ſemper ſuorum omnium conſiliorũ participem habuerit. Henrico vero patriæ virtutis, & regni pariter Hæredi non defuit conſilio, non prudentia, non opibus, non animi fortitudine. Ille. n. Mirandulam, ſub regio pręſidio poſitam, Pontificiis copiis obſeſſam, & à Ludouico Pico eius oppidi Comite, vix adoleſcente, tanta virtute defenſam, vt quanta in exercitus duce eſſe poterat virtus, in ipſo ſumma cum laude, tunc enituerit, ſeruauit, & à duriſſima liberauit obſidione. Octauio etiam Farneſio, Parmæ Principi, & cum omnibus Regiis virtutibus ornatiſſimo, tum in re bellica nulli ſecundo, dum eandem Parma cum Mirandula fortunam ſubiiſſet, eiuſdem Regis nomine pręſtò fuit, & quod alii pugnando conabantur, ipſe ſedendo, conſilio, ac prouidentia ſingulari, perficiebat. Vrbem Senas in Regis clientelam deduxit, cuius regimini, ac moderationi ſi ipſe ſemper præfuiſſet, nec alia noui rectoris inuaſiſſet ſuſpicio, non tot illi Reipub. damna illata fuiſſent, & ipſam etiam nunc in tutelam Henricus haberet. Hic tandem ille eſt Hippolytus; quem; ni malignus liuor obſtitiſſet, nunc Pontificem Maximum coleremus, ac veneraremur. Cui tamen ſummam illam dignitatem, cuius

ipse pietate, religione, vitæ integritate se dignissimum semper præstitit, a' Deo Optimo Maximo ad opportuniorem diẽ seruari arbitror, vt amplissima tanti Antistitis virtus, amplissimæ etiam potestatis munere, latissimè eniteat. Egoq́; exoptatã illã diẽ videre videor, qua pronus, sacris illius pedib. aduolutus, illis oscula figã, Pontificiãq́; illi gratuler dignitatẽ. Frãciscus vero diuersa ratione Caroli quinti Imperatoris augusti partes secutus, & paternæ virtutis æmulatione incensus, tanta vigilantia, consilio, & vi corporis cum in Duræ expeditione, tum variis etiã aliis in præliis arduis illis quidem; ac difficillimis; fortissimi, ac prudentissimi Ducis munera obiuit, vt, ni immane etiam illud inuidiæ monstrum egregiis, ac præclarissimis eius factis sese opposuisset, licet honestissimo apud Imperatorem semper fuerit loco, in optimaq́; virtutis, & fidei æstimatione, longè etiam honestiore, ac meliore fuisset. Sed quem præclarissimi eius filii Alfonsi sermonem interruperunt; repetamus. Ex iis, quæ iam a' nobis explicata sunt. constat Alfonso suis temporibus prosperis pariter, & aduersis clariorem fuisse neminem. Et ni morbus, quem ab adolescentia, ex affectæ mulieris concubitu, & contagio, contraxerat, Heroicam illam virtutem aliquantò impediuisset, nec qui cunctatione rem Romanam restituit, nec qui venit, vidit; & vicit, potuissent cum illo, rerum gestarum magnitudine, conferri, in hoc tamen aduersæ valetudinis vitio tantum sibi nominis, ac famæ, rerum gestarum magnitudine, comparauit, vt multi ex longiquis orbis partibus Ferrariam

ſe contulerint, quo oris illius maieſtatem, ac martium decus præſentes intuerentur, cuius nominis famam abſentes colebant, ac venerabantur. Sed quanuis totus ſemper in rerum bellicarum contẽplatione, actioneq; verſaretur; eo tamen animo erga populos fuit, vt qui armorum fulgore hoſtibus terribilem ſeſe offerebat, benignitate, ac clementia ſuis eſſet cariſſimus. Fuit ob conceptum morbum (cuius depulſio, vel ſaltem remiſſio in labore, & corporis exercitatione maxime' erat conſtituta) fabrilis artis ſtudioſus, in qua eo ingenio verſatus eſt, vt in fundendis maioribus bellicis tormentis, ſummos omnes artifices ſuperarit. Nulla fortunæ, vel fati aduerſitas illius in populum benignitatem interrupit. Et quanuis literas non didiciſſet, tamen doctorum hominum conſuetudine impendio delectabatur, & omnes inſigni præditos virtute plurimi faciebat, & quanuis ingruentibus bellis, & illis prope' aſſiduis premeretur, nunquam tamen bonarum artiũ Gymnaſium intermitti voluit. Nosq; quales, quales ſumus, iis ipſis in rerum anfractibus, & atrociſſimis bellorum procellis, doctiſſimis viris publice' profitentibus, in bonas artes incubuimus, idq; diſciplinæ hauſimus, quod nunc his ſcriptis illius virtuti, ac gloriæ pro virili noſtra grato, ac libenti animo præſtamus. Fuit apud ipſum magna ĩ æſtimatiõe Ludouicus Areoſtus, & Cęlius Calcagninus, ille propter eius excellentem in Heroũ errantium factis exprimendis, & in componendis Comœdiis felicitatem. Hic vero' propter eximiam literaturam, & miram ingenii ſuauitatem. Habuit epiſtolarum

rum

rum Magistrum Bonauenturam Pistofilum incorruptę fidei ac summę prudentię virum, in exscribendis vero' eo, quod tunc vigebat, dicendi genere, Principis sensibus, mire' felicem. Duos etiam iuris consultos, in eodem munere Iacobo Aluaroto socios, summopore amauit. Alterum Francinum Michaelem, virum omnium integerrimum, & iustitię vsque ad seueritatem tenacem, qui episcopali dignitate insignis, nunc etiam est Herculis secundi ab arcanis consiliis. Alterum Mattheum Caselium, cuius prudentiā in negotiis agendis mirifice' probabat. Medicos vero post Leonicenum, Ioannem Manardum, & Ludouicum Bonactiolum carissimos habuit. Quod prior in eruendis optimorum auctorum sensibus primas obtineret, posterior grȩcè, & latinè eruditissimus, in curandis omnibus cuiuslibet generis morbis, & in ęgris eloquentia, & oris probitate solandis mirus esset artifex, illo prȩceptore vsus fui, hic me in Medicorum, ac Philosophorum collegiū honorifice' cooptauit. Huic Principi coniugia Anna, Ioannis Galeactii Sfortię Mediolanensium Ducis soror [illegible] Lucretia [illegible] prȩter eos, quos commemorauimus filios, duos illi Alexandros peperit, quos viuens pater desiderauit. Et Eleonoram, quæ diuino spiritu afflata, se Christo perpetua virginitate dicauit; & in Monialium Corporis Christi Cœnobio etiam nunc vitam ea sanctitate viuit, vt cum corporis nexu soluta cœlum, vnde venerat repetierit, cœlestium virginum numerum procul dubio sit au-

ctura. Ex Laura etiam Eustochia fœmina cum forma, tum sua virtute insigni, iam senex filios duos genuit. Alfonsum, qui adhuc impubes sub Cæsare equitum alæ præfectus stipendia fecit. Et Alfonsinum, qui, pené, puer vitam cũ morte commutauit. De huius Principis obitu nostrum extat Epicediũ. & in eo opere, quod de humani corporis partibus (dũ rei Medicæ operam dabamus) heroicis numeris meditabamur; vbi de generosi cordis hominib. nobis sermo erat, quædam de eius virtute carmina composuimus, quæ hic, bona cum legentis venia, adscribere non grauabor.

At contra, hos; queis cor paruum sub pectore viuax
Exilit, impauidos belli generosa cupido
Excitat, his feruet circum præcordia sanguis,
Innatus gliscitq; vigor, vigor ingneus vsq;,
Exacuitq; mares animos, viresq; ministrat,
Hinc magis, atq; magis pulchram per vulnera mortem
Magnanimi querunt, stricto & decernere ferro,
Palantes agere, & populos, & sternere gaudent,
Dum viduant multis hostiles ciuibus vrbes
Impauidi, & victo palmas ex hoste reportant.
Tantus amor laudis, tanta est in pectore virtus.
Talis Alexander, tales duo fulmina belli
Scipiadæ, geminiq; Atridæ, & fortis Achilles,
Et (mihi si liceat priscis componere nostros)
Talis eras nobis quondam, inuictissimè Regum

Alfonse armipotens, dum fata Deusq; sinebant
Te Romae tremuere arces, Te Thybridis vndae,
Adriaci pelagiq; sinus. Te miles Hiberus,
Germanus belloq; potens. Te Gallia diues,
Te duce victrici laetata est saepe triumpho.
Inclita Atestinae gentis te gloria tantum
Floruit; vt felix caput inter nubila condat
Auspiciis elata tuis. hinc fleuit in amne
Te pater Eridanus, tua te Ferraria fleuit
Extinctum, patriaeq; decus, patriaeq; parentem,
Omnis, & amissum luxit decus Itala pubes.
Morte tua Marti riguerunt corda dolore,
Defleuitq; nephas scissis Bellona capillis,
Hinc vates, cui sacra dedit sua nomina Phoebus,
Exiguus quanuis vates, tibi iusta ministrat
Illachrymans, totamq; implet clamoribus vrbem,
Et tumulo dat dona gemens, & lilia spargit,
Lilia, purpureasq; rosas, fuluosq; Hyacinthos,
Et sacros manes pingui veneratur acerra.

Habuit Alfonsus amoenissimum curarum secessum Padi insulam; paruo ab vrbe seiunctam interuallo, cuius pars prior in amnem, veluti in rostrum, extenditur, gradibusq;, ad ascensum constructis, ingressum parat. Posterior verò, latior, & ferè in mediũ orbẽ deducta, quae fluminis vndas in duas partes scindit, quibus, quasi geminis bracchiis tota cingitur, atq;

alluitur. Hanc omnibus, omnis generis tum nostratibus, tum peregrinis arboribus cõsitam, Pulchrum visum appellauerat. Et nostri, externiq; orbis quadrupedibus, & auibus vndique conquisitis, ad honestam voluptatem abundè refertam in delitiis habebat. Hic vbi à reipub. gerendę laboribus requiescere, & à curis animum remittere volebat; otio fruebatur honestissimo in negotio. Frequensq; illud vsurpabat (quod etiam in eo loco, in quem in aulæ penetralia cogitabundus secedebat, albis, & illis maioribus, notis descriptum legebatur) se non minùs solum esse, quàm cum solus esset. Semper enim in acerrima, atque attentissima erat cogitatione, eaq; animo versabat, quibus tantis se turbis eximeret, & inimicorum potentissimorum odia, vel à se auerteret, vel mitiora redderet, vt tandem, post tot acerrima bella, totq; exantlatos labores, optata pace, atq; tranquillitate potiretur. Regnumq;, quod indomita, ac insuperabili virtute, contra impotentes aduersæ fortunæ impetus, & resarciuerat, & firmauerat, pacatum, & quietum posteris relinqueret.

DE HERCVLE .II. DVCE IIII.

Quem alium quæso filium ab Alfonso tanto patri successorem sperare debebamus, quàm hunc ipsum Herculem, quem sextumdecimum hoc in Atestinorum Principum ordine positum videmus? Quem nobilissima, generosaq; fronte, Re-

gia oris maiestate et tāto imperio pari, oculis inter seueritatē, & lætitiā micātib. idem Hieronymus Carpus eadem in aula penicillo a' viua effigie tam uero similem effecit, vt quanuis viuum, ac verum Principem nos illius familiares ob oculos quottidie habeamus, cum ipso colloquamur, præclaram tamen hanc ipsius imaginem ea voluptate intueamur, vt ipsum propèmodum regio solio insidentem, & iura graui, placidoq; ore populis dantem videre videamur. Hic ille est Hercules; cui, adhuc puero, omnes omnia summa tribuebant, de eoq; omnia bona sibi pollicebantur, & ipsum maximum patriæ, & Atestinæ familiæ columen futurum sperabant. Omnis. n. ipsius actio, incessus, sermo; futuræ Principis virtutis amplissima, certissimaq; dabant inditia. Hanc præclaram indolem, puero naturæ munere concessam, paribus animi bonis augere pater satagebat. Quare vbi primum Hercules distinctas voces promere didicit, Alfonsus (quem literas non didicisse vsque adeo' pœnitebat, vt Senex optaret aliquo Deorum immortalium munere posse repuerascere; & in cunis iterum vagire, vt illis operam daret) eum bonis artibus instituendum magistris dedit. Qui eo ingenio, eoq; ardore ad hæc studia animum appulit, vt nullis voluptatum illecebris à discendi cupiditate potuerit auocari. Qua in re breui tantum profecit, vt quæcunq; vellet latinis carminib. quæ elegantissima cōponebat; et soluto oratiōis stilo literis mādaret, eo verborum splēdore, et sententiarū pondere, vt qui illi magistri fuerant, illius virtutis admiratores euaserint. Nec

ſat fuit optimo parenti filium tam paruo tempore in mitioribus literis excelluiſſe. Verum cum iam audiſſet Themiſtoclem; quod fidibus canere neſciret, habitum fuiſſe indoctiorem, dedit operam, vt literarum ornamentis Muſicę etiã ſplendor adderetur, qua in re mirũ dictu quantum excelluerit, nã cũ Muſica enharmonico, diatonico, & cromatico genere potiſſimum conſtet, nihil toto horum generum ambitu cõtinebatur, quod ipſe non ad amuſſim calleret, præter id. n. quòd Muſicæ uim vſque adeo natura inſitam habeamus; vt non defuerint inter Philoſophos, qui animam noſtram harmoniã appellauerint, id illi in omni poetica probè verſato facile fuit. Cum. n. in condendis carminibus breuis, longi, & medii temporis ratio habeatur, ad Muſicam aditus minimè illi arduus eſt, qui has temporum rationes, eorumq; nouerit interualla. Vbi vero per ætatem licuit, non minori animi alacritate ad ea, quæ rei bellicæ exiſtunt ſeſe conuertit. Obſtupuerunt etiam magiſtri hac in re Regii filii ingenium, nemo. n. in equis, vel ciendis, vel ſiſtendis, vel in orbem agendis; vel in auras attolendis, aut lenius gradatimq; ducendis illi par fuit, in enſe vero vibrando, & ad numerum mouendo, ſiue eques eſſet; ſiue pedes, in haſtarumq; concurſu ipſos, paruo tempore, magiſtros æquauit. In belli verò ſimulachris, in quibus erat admodùm frequens, Cataphractis haſta concurrebat, enſe certabat, eo animo, & corporis robore, vt ex ludicro certamine cerni facilè poſſet, ſibi in acie, & bello, ſi res id poſceret, mori quàm timere facilius

futurum. Martiumq; illum vigorem vna' cum literarum cognitione sic coniunxisse pręse ferebat, vt quæ duo aduersis frontib. pugnare nostræ ætatis hoïes sibi persuaserunt, pulcherrime' fœdus in ipso certatim ornando percussisse viderētur. Quod me Hercle omni Principi maxime' cõuenit. armorũ. n. exercitatione, atq; peritia; hostes appetuntur, iniuriæ propulsantur, imperia defenduntur, pax, & quies post victoriam comparatur. Literis vero' perdiscitur optimus viuendi modus; egregii Principis instituta, populorum regendorum ratio, suadendi; dissuadendiq; facultas, quæ cum omnibus, tum Principibus præsertim, & in bello, & in pace, & domi, & foris, & in otio, & in negotio est maxime' necessaria; præclaræ etiam noscuntur literarum monumentis summorum, ac maximorum Principum res gestæ, bellorum, pacis, induciarum causæ, locorum situs, temporumq; rationes, & alia id genus multa, quibus homo ad Deos immortales, quàm proxime' accedit, & ad decus, ad gloriam, ad immortalitatem, maxime' excitatur. His artibus Princeps noster à pueritia instructus, suo exemplo palàm fecit, quanti referat bonis moribus, & liberalibus studiis à primis (vt aiunt) vnguiculis incubuisse. Quæcunque vero, vel inermis in otio, vel armatus in negotio agebat, Regalis illa, quàm præ se ferebat speties, ingenuusq; formæ decor, ac suauitas illustriora reddebat, ac splendiora. Est. n. forma (in Principe pręsertim) muta quędam commendatio qua virtutes omnes, ceu lumine quopiam cœlesti mirificè illustran

Armorum utilit

Literarum utilit

forma

tur. Hac igitur indole Hercules, his institutis, hac discipli na, his moribus altus, atque educatus, tantam de se spem cum apud omnes, tum præsertim apud parentem, qui omnes eius actiones obseruabat, excitauit, vt cum vix ex Ephebis excessisset, regni cum illo pondera cœperit partiri. quo ipse, qui omnibus aliis in rebus excelluerat; regendis etiam populis, & rebus grauioribus tractandis sic assuesceret, vt primas ēt hac in parte assequeretur. In his vero negotiis cum filio communicandis gaudebat optimus pater, eam in impubere filio videre, atque experiri prudentiam, eamq; maturam consiliorum grauitatem; quæ plerunque in sene desideratur. Et quanuis Alfonso graue, atque acerbum foret in ea dura, & molesta tempora incidisse, quæ illi semper difficillima, et ardua offerebant (tunc. n. Leo omnes vires, & cogitationes suas in Alfonsum conuerterat) de quibus cum filio colloqueretur, ipsi etiam gaudio erat filium à prima adolescentia in his versari, à quibus cognosceret, pacem, & quietem à Principe semper esse expetendam, illiq; operam dandam, vt quanto posset maiore conatu, à toto suo dominatu bellorum causas repelleret. Nam præter quod bella in ancipiti omnia ponunt, Fortunæq; subiiciunt, & Marti, æraria exhauriunt, Principum fortunas debiliores reddunt, populos turbant, illorum fortunas diripiunt, & Principum populorumq; animos tam grauibus curis implent, vt nulla prorsus fruantur vitæ suauitate. Neque. n. probabat prudens pater illud Amilcaris plus quàm barbarum institutum, qui filium

Bellorum dispen.

ad Deorum

ad Deorum immortalium aras iurare compulerat se, perpetua cum Romanis bella gesturum. Quin pacem filio suadebat, ostendebatq; se inuitum ea bella suscepisse, quæ, etsi forti animo, nec prorsus infeliciter, ab eo gerebantur, multa tamen, ac maxima incommoda, grauissimasq; illi curas continenter afferebant. Dum verò mutuis collocutionibus his de rebus pater, & filius inuicem agunt, suaq; tueri cogitant, & inimici impetum repellere. Moritur Leo, Hadrianus illi sufficitur, is Taracone in Italiam nauigat, Romam accedit. Tum Alfonsus Herculem salutatum Pontificem mittit; illumq; de imperii iuribus docet, iisq; omnibus instruit, quibus Hadriani animum sibi conciliet, & ab eo bellandi, instituto remoueat, quo Iulius, & Leo, tanta cum iniuria, ipsum turbauerant. Et tandem patris nomine, & populis quietem, & parenti pacem deposcat. Parenti paret Hercules, Romam iter arripit, Hadrianum conuenit, qui simul, ac in adolescentis faciem oculos cõiecit, & regiam illã formæ dignitatem animo concepit, illum actutum dignum iudicauit, cui faueret, cuiq; omnia, quæ pro patre petiturus erat libenter concederet. Adolescens, venia à Pontifice impetrata, vices parentis doluit. Dixitq; se non audere duos summos totius Christiani orbis Antistites Leonem, & Iulium accusare, quòd ambo patrem, qui nihil magis vnquam cogitarat, quàm sub illo Sanctæ Romanæ Ecclesiæ presidio conquiescere, in quo ipse omnes suæ tranquillitatis spes collocauerat, tam indignis modis vexassent, sed id omne potiùs in sæuam quandam fatorum dispen- | Herc. oratio ad Hadrianu.

S

ſitionem velle referre, quæ illorum animos ad eum laceſſendum incitauerit, qui ambos coluerat, & de vtriſque, ſuo etiam maximo incommodo, benemeritus erat. Se tamen ſummòpere gaudere tunc illum Pontificem Reipub. Chriſtianę præpoſitum eſſe, quem à ciuilibus bellis abſtinere ſperaret, ſeq; ea bella ciuilia meritò appellare, quæ inter Chriſtianos hoſtili animo geruntur, quæ etiam acerbiora efficiuntur, ſi ille ipſe, qui Chriſti Optimi Maximi vices in terris gerit, illiusq; auctor pacis eſſe debet, quam Chriſtus orbi reliquit, & inter homines ſeruari iuſſit, ſe huiuſmodi turbis, ac ſeditionib. fortè cõmiſceret, & tã crudelia bella foueret. Quare ipſum rogabat, qui antea Romanæ Eccleſiæ filius fuerat, et Chriſtianorũ oĩum frater, nũc verò illius, et totius Chriſtiani cœtus Princeps ſimul, & pater erat effectus, ſe etiã, & parentem ſuũ, qui id ſummis votis depoſcebat, in filiorũ loco paterno amore ſuſciperet, daret hoc pietati, & virtuti ſuæ, daret ampliſſimæ, qua fungebatur, dignitati, daret Ateſtino generi, daret tandem Alfonſo optimo parenti, Pontificięq; poteſtati vſquequaque addicto, pro quo ipſe inſons inſontis parentis filius orans, ac ſupplex veniam implorabat. Hæcq; omnia ea gratia, ea dicendi felicitate expoſuit, vt Hadrianus ipſe, & ampliſſimus ille ſanctorũ patrũ ordo, qui aderat; adoleſcentis ingenium, prudentiam, gratiam, eloquentiam non potuerint non admirari, omnesq; in eius fauorem voluntates ſuas inclinarũt. Amplexatus Hadrianus adoleſcentẽ, illi virtutẽ ſuam eſt gratulatus, moxq; parenti, pro quo filius ſupplex

ad Pontificis pedes acciderat, regni iura firmauit, & omnibus turbis, ac seditionibus sedatis, omnibusq; bellorum caussis deletis, eũ lætũ, et voti compotem dimisit. Cuius exoptatus reditus tanta lætitia parentem affecit, vt ipsum amplexatus; præ lætitia collachrimatus fuerit, & manus ad Cœlum tendens vobis, inquit, Cœlites; gratias ago, quod tantæ spei, tantęq; expectationis filium mihi concessistis. Cęterùm properatum Hadriani fatum, & Clementis ad Pontificiam dignitatem ascensus veteres tumultus excitauit, is. n. qui nundum concepta odia concoquerat; acerbitatis suę virus in Alfonsum euomuit. In illis verò rerum agitationib. & in eo ingruentium bellorum tumultu, Hercules semper parenti pręstò fuit. Et ecce interea Franciscus Gallorum Rex, qui cum Atestina familia semper in fide; & officio permanserat, ab eaq; in omni, quam in Italia cõfecerat, expeditione, opibus, consilio, & fortitudine adiutus fuerat. Quiq; sciebat nobilissimum horum Principum genus à Gallorum nobilitate ortum duxisse, vt ipse longa temporum intercapedine intermissam cognationis rationem, in pristinum reduceret, & quam amicitię fœdus beneuolentiam inter Gallos Reges, & Atestinos Principes semper seruauerat, affinitatis etiam vinculo firmàret, nobilissimi, ac clarissimi adolescentis, fama excitatus, Renatam Ludouici Regis filiam, vxoris suę sororem, illi matrimonio collocare secum statuit. quod Regio decori Herculem, hoc connubio, non minus splendoris addere, quàm accipere iudicaret. Hanc animi sui cogitationem, &

propensam in Atestinum genus voluntatem Franciscus Alfonso significauit. Eam carissimo filio aperit amantissimus pater, ostendit quàm in suam & totius ditionis rem sit faturum huic Regi affinitate coniungi. Cum Clemens, potentissimus hostis, aliis partib. vt eũ pderet, se addiicere conaretur. Filius parẽti obsequentissimus, & qui illius semp paruit hortationib. se ea oĩa facturũ respondit, quæ pater, quacunq; rõne iuberet, & cũ semp nephas duxisset, ab amãtissimis fidelissimisq; parẽtis cõsiliis recedere, se hac tamẽ in re eò magis in eius sententiã descensurũ, quò ab amicissimo Rege inuitabatur, & q̃d proponebatur, & sibi, & toti generi magno honori & cõmodo futurũ videbat. His sic inter filium, & parentem firmatis, splẽdidissimo equitatu comparato in Galliam Hercules ad Frãciscum contendit, optimus Rex optimum amplectitur adolescentem. Et cum in conuictu, & quotidiana consuetudine, in Hercule ingenium, prudentiam; consilium, solertiam, & rerum omnium cognitionem vnà cum ætate sic adoleuisse animaduerteret, vt omnibus esset comparandus, multis anteponendus, ipsum præsentia famam superasse cognouit. eóq; magis lætatus est, Renatam illi despondisse, quò illius virtutem omni sua opinione maiorem esse comperiit. Renatam igitur lectissimam fœminam, & regio splendori moribus, ac virtutibus parem, illi matrimonio iungit; eundemq; Carnutum Ducem creat. Nuptiis celebratis Hercules Italiã repetiit, & magna populi lætitia, vnà cum vxore in vrbem se recepit. Dum hęc Ferrarię geruntur, Cæsar ad Clementem Bononiam venit,

vt ab eo Imperatorio diademate ornaretur. Alfonſus, pro rebus inter eum, & Clementem componendis à Cæſare Bononiam accerſitur; illuc contendit optimus Princeps, Hercule regni Produce, cuſtode, ac moderatore relicto, qui in eo munere obeundo tale de ſe, et de virtute ſua ſpecimen dedit, vt pater patriæ appellaretur, antequam fieret. Videbant.n, omnes regendorum populorum peritiam, quæ in parente conſeneſcebat, ſic in filio adoleuiſſe, vt paternæ par eſſet. Rebus vero' à Clemente, & ab Alfonſo ex confectis tabulis, mutuo conſenſu Cæſaris arbitrio commiſſis, & ſententia à Cæſare pro Alfonſo, lata mortuo Clemente, magna Alfonſi lætitia eligitur Pōtifex Paulus tertius, Ateſtinę familię veteri neceſſitudine cōiunctus. Sperabat.n. hūc toti Chriſtiano orbi, ſibiq́; & Ateſtino īperio, ceu ſalutare quoddā ſydus, poſt tot pcellas affulſiſſe. Req́; ipſa Alfonſus ſe nequaq̄ deceptū, exptus eſſet, ni properata mors tātā illi felicitatē ademiſſet. Succeſſit patri Hercules eo oīum ordinū plauſu, eoq́; gaudio, (quod nos in eo quod extat Hercule ſalutato heroicis numeris cōplexi ſumus) vt quod ſui deſideriū Alfonſus oībus reliquerat; noui Principis lætitia prorſus abſtulerit. At, poſtq̄ ſolio inſedit paterno, illa grata excellēs, eximiaq́; ſpecies facta ē auctior, & excelſior, & admirabilis ille aī vigor, et ea, quę propria ē principū, prudētia (quod ſit veluti aī oculus, & oīum aliarū virtutū magiſtra) ſuos radios adeo' illuſtres emiſerūt, vt ipſe ſe ipſo maiorē ſtatī oſtenderit. Primū cū ſciret eā eſſe rerū humanarū incōſtātiā, vt ipſæ iugi viciſſitudine mutētur, & pro

} Prudentia pstati

fortunę arbitrio, & abeũt, & accedant, ipſe aduersùs fortunã ea ſe virtute firmauit, vt aduerſa forti aĩo, ſecũda tẽperato eſſet laturus, duris pariter, & lętis inuictus. Prudẽtia vero pręterita repetere, pręſentia ordinare, futura pręuidere, & eorũ, quę fiebant, et faciẽda ſupererãt par ſtudiũ adhibere. Illud vero ipſi potiſſimè curę fuit, vt ad illius Herculis exẽplũ (qui anteaquam ad monſtra domanda aggrederetur, ſe domuit) ſe ipſum ſuperaret. ſibiq; ſe parere doceret, vt qui tot populis pręerat, illos, & rectiùs, & ſapientiùs regere à ſe ipſo diſceret. in ſe igitur Hercules deſcendit, ſeſe cõpoſuit, intraq; ſe imperiũ, priuſq̃ ad id aggrederetur, ordinauit. Et cũ illud Epicharmi ſecũ aſſiduè volueret, mentem .s. eam eſſe, quę cernit, quę audit, reliquaq; omnia ſurda penitùs, & cœca eſſe, conſilium in arcem rationis euocauit, illa tantùm duce imperare ſibi propoſuit. Illudq; in adoleſcente Principe mirum fuit, quod in ea ętate, quę natura intemperans eſſe conſueuit, ipſe qui nullis legibus tenebatur, perinde tamẽ ſe legibus ſuppoſuerit, ac ſi omnibus ipſi legibus parendum eſſet; plectiq; deberet, ſi à lege iuſſum, vel pręſcriptum tranſgrederetur. Animo igitur à ſenſibus auocato, totus in contemplationem erectus, rationis lumine cernebat ſe in conſpectu eſſe totius nõ modò ciuitatis, ſed orbis vniuerſi, ſibiq; in eã curã maximè incumbendũ eſſe, vt qualis haberi volebat, talẽ ſe pręſtaret, & qualẽ ipſe populũ optabat, talẽ ſeſe populo oſtẽderet. Eſt.n. Princeps in ciuitate veluti ſcopus ad quẽ oĩs populus oẽm dirigit viuendi rationem. Illas igitur malorũ omniũ eſ-

Princeps.

cas voluptates, domesticos plerunque Principum hostes, & impotentes animi impetus cogitationibus omnibus ad illustre decus compositis, rationis imperio cohibuit; nec quantum sibi liceret, sed quantum deceret cogitabat. Non. n. ipsum illud Aristotelis latebat, adolescentes quo' magis cupiditatibus trahuntur, eo' magis etiam decere illas comprimere, quare vt omnia sibi subiiceret, ipse semper se totum rationi subiecit, nihilq; vnquam nisi illustre, atque honestissimum respexit. Illam. n. affectuum, & commotionum moderatricem temperantiam omnium actionum suarum semper comitem habuit. Cæterum vt ipse sibi, sedatis animi perturbationibus, quietem in omni vita comparauerat; & populos suo exemplo honestam vitam docuerat, ad ditionem omnem stabilendam se totum conuertit. Et cum videret, ea omnia, quæ inter nos vigent, humanaq; præsertim corpora, eóvsque integram valetudinem seruare; quòvsque illa ipsa elementorum diuersitas, quibus constamus, inter se conciliata pacis fœdere iuncta seruantur, omniaq; in peiùs ruere, si illa rerum initia inter se dissideant, alterumq; alterum, de sede deiicere tentet, cogitauit etiam regnum tam diù incolume futurum, quàm diù ipse operam daret, vt perpetua pace niteretur. Quare etsi videbat parentem rerum bellicarum gloria perenne sibi decus comparasse, tamen Princeps prudentissimus, & publicę quietis cupidissimus, animaduertebat ipsam etiam bellorum felicitatem, qua clarus fuerat Alfonsus, magna, grauiaq;, & illi, & populis damna intulisse. Nemo

Eheu q̃ꝫ uere. enim gloriam bellicis in actionibus, nisi magno mortalium malo, sibi comparare potest. Statuit igitur Hercules aliam sibi viam ad gloriam sternere. Et vt eius pater ex aduersis secunda nobis efficere curabat, hic ne quicquam aduersi nos læderet operam nauauit, imo felicia felicissima reddere sibi proposuit. Reges. n. intelligebat maximè decere alienam salutem summa diligentia curare, publico commodo studere, & populis in primis esse salutares. Prudens Hercle cogitatio, & eo Principe digna, qui non in habendis, sed in tuendis rebus animi magnitudinem posuisset, vidissetq; ad eas seruandas nihil aptius pace à Dis immortalibus humano generi concessum fuisse. Nam si bella non alia de causa suscipiuntur, quam vt victoriam Imperatores consequantur, & ea obtenta ab omni sint impetu, ab omni iniuria, ab omni perturbatione securi: Quis Principem illum non miris laudibus efferat, qui regnum sic sibi regendum proposuerit, vt consilio, & sapientia omnes ab iniuria illi inferenda vel auerterit, vel deterruerit? omnesq; regni fines sic defenderit, vt nullis vnquam incursionibus fuerint lacessiti, nullo impetu populati, nullis bellis vastati? Cum igitur Hercules vidisset parentem trium maximorum Pontificum odiis, & sinistro quoppiam fato, in eas belli difficultates, vel inuitum coniectum fuisse, in quibus quãuis victor euaserit, tamen pacẽ semper affectauerit, illam perquisiuerit, omnibusq; votis efflagitauerit, ipse secum statuit, quam pacem Alfonsus, ob Põtificiam dignitatem in Paulum collatam, spe tantum conceperat, re

Regũ munus.

rat, re

rat; re stabilire, sicq; firmare, vt sanctæ Romanæ Ecclesiæ armis nunquam, se Principe, labefactaretur. Eam igitur Pontifici præstaturus voluntatem, quam maiores sui, quasi hæreditario iure, omnibus Pontificibus præstiterunt, se Romam ad Paulum Pontificem contulit. Hunc quem populus Romanus vix adolescentem, cum ad Hadrianum patris vice accessit, libenter viderat, tunc Principem, & se ipso maiorem veneratus est. Cum vero Pauli in conspectum venit, ea eloquentia, quàm à natura insitam habebat, arteq;, & literarum studio excolluerat, Paulo exposuit: Atestinos omnes Principes, ab Actio primo (qui anno à virginis partu noningentesimo sexagesimo octauo, pro Pontificia dignitate cum Berengario tertio ea fortuna bella gessit, vt Pontifice incolumi omnem illius iram in se conuerterit) vsque ad Alfonsum fratrem (quod temporis spatium est annorum: DXXXVII. præclara de eorum virtute, ac fide erga Romanam Ecclesiam dedisse testimonia; eosquè semper summos Principes in Pontificis auctoritatem irruentes sua virtute depulisse, & propriæ saluti semper Pontificum incolumitatem prætulisse. Eodemq; etiã animo in amplissimam illam maiestatem Alfonsum fuisse, qui vt contumaces Venetos Iulii Pontificis Maximi decretis parere doceret, cũ illo, & cũ Rege Gallo fœdus percussit, Iulioq; ea in expeditiõe tã preclarã operã nauauit, vt Veneti se Pontificiæ submiserint potestati. Sed aduerso quopiã fato dixit euenisse, vt præstiterit Iulio hostẽ fuisse, q̃ amicũ, qñ

Herc. oratio ad Paulum

T

Venetis in tutelā receptis, illos aduersus Alfonsum concitarit, & vniuersa belli mole in ipsum conuersa, Principem, vsq; adeó de se benemeritum regno priuare omni nixu curauerit. Obiisse interea Iulium. Illi suffectum Leonem. X. Sperasse Alfonsum, cū ob mutuā inter ipsos, et vniuersā eorū domū necessitudinē, tum ob suam in illam sedem obseruantiam, Leonem sibi æquiorem fore, ideoq; ad eum alacrem accessisse: orasseq; vt pro æquo, & iure illum in tutelam reciperet, & quæ Iulius illi iniuria dempserat, iure ipse restitueret. Se. n. eum futurum pollicebatur, qui se omnia semper, & Leoni, & S. R. E. debere esset professurus, sed promissis a' Leone fuisse oneratū, ea verò tandē irrita fuisse. cū ipsum nulla sua culpa, multo' acriorē Iulio hostē habuerit, quod ille regnū tantū, hic vero regnū, et illius caput īsidiis, et armis appetierit. Hadrianū vero' Leoni successisse & non mitiùs modó, sed multo' etiam æquiùs cum Alfonso egisse, cum, deletis omnibus iniuriarum, & expostulationum causis, illum, non secus, ac filium, in suam clientelam receperit, & Pontificio decreto, in tota iurisditione confirmauerit. Superuenisse demum Clementem Pontificem Maximū, qui non prouocatus, non lacessitus vetera odia suscitauit, ea animi acerbitate, vt nihil magis quæsierit, quàm quo iure, qua ue iniuria Alfonso, vel vitam arripere; vel eum de regno, & de fortunis omnibus deturbare, id vero' frustra ab ipso tētatum, cum, & Dei optimi maximi munere, & sua prudentia; illius dolos euitauerit, & omnes conatus eluserit, ac

declinauerit. Tandem Carolum Quintum a' Clemente, & ab Alfonso arbitrum electum fuisse; qui de re tota cognosceret, & pro æquo, & bono sententiam ferret, & Cæsarē re in controuersiā ducta, amborumq; iuribus auditis, pro Alfonso iudicasse, parere Clementem iudicato noluisse, & quā illi ex sententia lata ingentem pecuniarum summam obtulerat, repudiasse. Interea vero' Clementem fato sublatum, Deorumq; immortalium consilio ipsum Paulum, ex amplissimo illo patrum senatu electum fuisse, ob generis splendorem, vitę integritatem, morumq; nobilitatem maximè dignum cui summa illa auctoritas traderetur, qua nulla à Deo maior vniuersus orbis videre potest. Seq; arbitrari Deum opt. Max. nulla alia de causa illum toti R. E. pręposuisse, quàm vt ad eam pacem, cuius ipse Deus se auctorem profitetur, omnia vota, omnesq; conuerteret cogitationes, orbiq; Christiano vniuerso, ipsiq; etiam, qui eum antea' semper obseruauerat, nunc vero' piè colebat, ac venerabatur, eam tranquillitatem, ac quietem concederet, quam, & pater suus semper expetiuerat, sæpius flagitauerat, nunquam vero' assecutus fuerat, quòd illi Pontifex defuerit eius præclaræ voluntatis, cuius ipse sibi Paulum futurum pollicebatur. Qui si se exorari sineret (vt optabat) rem procul dubio faceret Christiano homine dignam, dignam Pontifice, et Pontifice Paulo, quem ea in sedis statione positum credebat, vt esset veluti signum quoddam omnibus totius orbis Christiani hominibus erectum ad bene sperandum, seq; sibi

eò magis omnia bona polliceri, quò pro comperto habebat eum optimè ſcire, tum ex ipſa Caroli ſententia, tum ex iis quæ hac de re ſæpius intellexerat, ipſum nihil ab æquitate, nihil à iuſtitia alienum poſtulare. Se verò, pro tanto beneficio, imperium, fortunas, vireſq́; omnes ſuas, ſeque ipſum pro eius arbitrio ſemper expoſiturum. Quare ſupplex eum etiam iterum, atque iterum orabat, ac obſecrabat, vt quam de eius probitate, iuſtitia, ac clementia opinionem conceperat, re ipſa experiretur. Herculis oratione commotus Paulus illi ſpem dedit, ſe æqui, & boni rationem habiturum, daturumque operam, vt eum non minùs ſibi propicium inueniret, quàm, & æquitas, & ſuus in omnem Ateſtinam familiam amicus animus poſtularet. Non defuerunt tamen, qui hanc Pauli mentem (adeò ſemper inuidiæ liuor felicibus hominum rebus infenſus eſt) ab Hercule alienare omni nixu tentarunt. Nec qui procurarint, eam pecuniæ ſummam, quam, ex Cæſaris ſententia, Pontifici debebat, licet ingentem, & quæ vix à Rege opulentiſſimo exigeretur [illegible]iorem ab ipſo perſolui. Cæterùm ea prudentia Hercules apud Pontificem totum negotium peregit, vt & inuidorum malitiam ſuperauerit, & hominum alieni appetentium cupiditatem euaſerit. Pontificio. n. diplomate Paulus omnia illi ditionis iura firmauit; Fratremquè Hippolytum (quod Hercules in mutuis cum illo collocutionibus tractauerat) in Cardinalium collegium cooptauit. Voti compos Hercules totus in regni curam in-

cubuit, & ea moderatione imperium rexit, regitqué adhuc, vt cum ciuibus suis, quasi optimus parens cum liberis viuat, ab eo enim ciues nulli, sed illi potiùs omnes ipsi timent. mira est in ipso congressus, atque alloquii facilitas, sicquè semper seueritati lenitatem coniunctam habet, grauitati comitatem, maiestati benignitatem, iustitiæ clementiam, vt domesticis gratus, amicis iucundus, externis admirabilis, hostibus non inexorabilis existat. Quod ex eius in Ioannis Pauli Manfronii clementia manifestissimum fuit. Hercules multis, magnisquè beneficiis promeritus erat, vt ab hoc valde amaretur, nihil. n. illi vnquã denegarat (quæ sua est in oẽs amicos liberalitas) quod ab ipso postulasset. Ast hic; nescio an dicam ingratus, aut impius, temerario quodã impulsu ductus, posthabitis meritis omnib. in eũ ab Hercule benignissimé collatis, se ad necem tanto Principi inferendam parauit. Hercules cũ eius dolos, & inimicum animum præsensisset, ægerrime' tulit homini, de quo ipse, nullo illius officio prouocatus, toties benemeritus erat, tã ingratũ animũ inesse. Sed qñ ita res ipsa postulabat, illius temeritati prudentiã opposuit, dedit q; operã, vt eum in suam pòtestatẽ haberet. Ille aũt, sceleris conscius, timens longas Principis manus, illius potentiam euitare conabatur, huc, illucqué latitanti similis fugiebat. Cæterùm cum, & Itali, & totius orbis Princeps, ac Reges hominis improbitatem intellexissent, pro eo, quo omnes Herculem prosequebantur, amore, & pro Regii nominis dignitate, hominis scelus execrati, eum à finibus suis

Io: Paulus Manfronius.

oẽs ablegarunt. Resq; eo' deducta erat, vt nec Italia, nec vlla alia in orbis parte domum haberet, in qua, non dixerim securus viueret, sed ne tutè quidem posset vestigium ponere. Quare fractus, & sui impotens animum desponderat, nesciebatq; qua ratione incolumitatem sibi pararet, quam omnino consecutus esset, si ad Principis clementiam confugisset, sed illa hominis leuitas, quæ iam mentem de sede deiecerat, ipsum hoc vnquam non modo tentare, sed ne cogitare quidem permisit. venit igitur captus in Herculis potestatem, & cum scelus nepharium, & truculentum fassus esset, nullaq; esset venia dignus, tantam tamen in Herculem (qui magnam vindictam putauit, vindicare potuisse) inuenit benignitatem, vt cum extremo supplicio damnatus esset, illum eo in temporis articulo, quo, omni salute penitus, desperata carnificem expectabat, qui illum securi, abscissis ceruicibus, merita morte mulctaret, vita clementissimè donarit. Res sanè memoria digna sempiterna, vt potè quæ ab eo Principe processerit; qui nihil nisi illustre, nisi magno animo dignum meditetur, odioq; non efferatur, nec iracundia longius protrahatur, quàm sapientis hominis ratio requirere videatur, quiq; regium esse duxerit iniurias obliuisci, & ignoscere magnum vindictæ genus sit arbitratus. Nec sanè vlla re ad Deos immortales homines proprius accedunt, quam eos seruando, quos possunt perimere. Certè qui de consanguineo, vel de amico benemeretur, rem probo homine dignam facit; At qui in hostẽ beneficium confert, illiq; capite damnato vi

tam ſerunt, non tantum mortales omnes benignitate ſuperat, ſed Dis ipsis immortalibus, æquus propemodum efficitur. Hac ſingulari Herculis clementia, ſermo increbuit, priſcum Herculem hoſtes claua, & manu ſœua, noſtrum uerò eos clementia, ac placabilitate domuiſſe, quod nos hoc epigrammate complexi ſumus, quod, etsi pietatis nomen paulò licentius à proprio deſlexi mus, tamen adſcribemus.

Amphitryoniades flammis, clauaq; trinodi,
Et ſœua ſtrauit monſtra nephanda manu,
Alcides uerò noſter, quæ monſtra uagantur,
Non igne, aut ferro, ſed pietate domat.
Dic, uter eſt maior? tantò hic præſtantior illo,
Quantò uita nece eſt gratior, & melior.

Totus uero Herculis dominatus in ea incidit tempora, ut ad hanc uſque diẽ in uniuerſa Italia magna ſemper fuerit Annonæ caritas, cæterùm ipſe eo ſtudio, ac diligentia rem frumentariam curauit, ut non tantùm qui ſub feliciſſimo illius imperio uiuunt, non egerint, ſed urbes omnes ſuas sic frugibus munitas reddiderit, ut perinde ac nulla extitiſſet penuria, ad diuturnam obsidionem ſuſtinendam (si fortè in ijs qui uagabantur belli turbinibus id fuiſſet neceſſe) eſſent opportunè paratæ. qua quidem in re prouidus Princeps, & omnium qui ſunt, fuerunt, erunt, boni publici cupidiſſimus, & qui nihil unquam utile iudicauerit, ad pacem

quod ab honesto fuerit alienum, uectigalia, portoriáq; nunq; auxit, nulli unq; ciui, externo molestus fuit, quin licet ipse magnā pecuniarū uim pro annona comparanda errogauerit, adeò tamen largè, ac liberaliter omnibus præstò fuit, ut nemo tanta in rerum egestate, ac penuria, illius liberalitatē desiderauerit. Eáq; fuit in præclaris uirtutibus, fouendis, & in gratia referenda, præclari huius Principis natura, ut nulli unq; probo, nulli singulari aliqua arte, uel doctrina prædito, nulli de ipso benemerito illius defuerit benignitas, studia litterarum, quibus ipse à crepundijs ea diligentia operam dedit, ut cum præclaris earum professoribus potuerit conferri, magna semper fouit liberalitate, ut qui scribenda faciebat, haberet etiam qui res suas præclarè gestas literarum memoriæ commendaret, inter quos ego etiam, licet infra mediocritatem eruditus, hoc, quicquid est commentarioli, illius liberalitati, pro meo in ipsum gratissimo animo, uel ultrò elucubratus sum. Semper domum adeò hospitalem habuit; ut quicunque ad eum diuerterunt Principes (diuertunt autem quamplurimi) splendidè hospitio acceperit, & honorificè, & (ut alios omittam) Paulum tertium Pontificem Maximum, magno Cardinalium, & Antistitum comitatu, regio apparatu domi habuit, qua in re, cum omnia fuerint splendida, ac magnifica, tum illud maximè; quòd, illo ipso Pontifice cum tota curia spe

ctatore

ctatore, Regii Herculis filii cũ mares, tum fœminæ adhuc infantes, Regia in ſcena Adelphos, Terentii Comœdiam, latinis numeris, magna Pontificis, & totius curiæ admiratione magnificè egerunt. Huius benignitatis fama compulſus Muleaſſes Tunetorum Rex à filio obcœcatus, & regno impiè eiectus, ad Herculis beneficentiam confugit, qui hominis, licet barbari, & à religione noſtra penitus alieni, calamitatem miſeratus, eum munificè excepit, & medicis, vt eorum ope, atque auxilio (ſi id vlla ratione, vllò ue fieri potuiſſet argumento) lumen amiſſum recuperaret, curandum dedit; cuius ſalute deſperata, eum multis muneribus ornatum dimiſit. Quæ res inter eos qui ſuperſtitioſam Maumethis religionem ſequuntur, præclaro famæ præconio peruagata, aliis excellentiſſimis Herculis noſtri virtutibus ampliſſimam eò vſque perueniendi viam patefecit. Quibus excitatus, & in eorum admirationem adductus hic Selymus, qui Solimano parenti Turcarum Imperatori ſucceſſurus eſt, vltrò Caſſanum Chaus nobilem familiarem ſuum Corcyræ oriundum cum perhumanis ad eũ literis Herculẽ vſque Ferrariam ſalutatum miſit, cum ampliſſima præclariſſimæ illius in eum voluntatis teſtificatione, quem nuntium, & largè, & benigniſſimè Hercules ſuſcepit, & Regiis muneribus liberaliter ornatum ad Principem, qui eum miſerat, remiſit, cũ ſumma ſuæ erga illum voluntatis, teſtificatione. Ne verò quas poſſidet vrbes tutas, ac munitiſſimas redderet ulli vnquam ſumptus, quantumuis maximi, ipſum deterruerunt.

Mutinæ . n . pomœria longius prouexit , mœnibus , & fossis cinxit , minis , ac propugnaculis muniuit ; & ad ampliorem , nobilioremq; vrbis formam eo studio prouexit , vt quæ tota propé lignea fuerat , nunc pulcherrimis ædificiis sit illustrata , Regium vero Lepidi, & Carpum, oppida priùs quibuscunque hostium incursionibus obuia, validiss[illegible] muniuit. Quin vt ita in condendis vrbibus se Herculem ostenderet , vt cæteras omnes illius virtutes egregié refert , Brixillum, non satis nobile antea Castellum , in pulcherrimã ciuitatis speciem regié perduxit , & fortissimis turritisq; mœnibus armauit , & profundissimis fossis ita sepsit , vt nulla vrbs tota Italia reperiatur Brixillo munitior , quo plané videmus , Herculem ciuitatibus munificentissimum , vt pote , qui ciuibus suis magis, q̃ sibi se natum existimet . Quas igitur ciuitates, tot in rebus explorata prudentia , & maturo consilio semper defendit, hoc etiam munimine incredibili sumptu ab omnibus hostilibus impressionibus tutissimas reddidit. Censet . n . eum Principem longé prudentiùs , ac sapientiùs agere , qui his muniendi rõnib. hisq; p̃sidiis exteras, inimicasq; gentes ab iniuria vrbibus inferenda arcere conantur , quàm qui bello sorti , quæ est domina campi , se committunt, & se suaq; omnia , incerta pugna , periclitantur . Quod si, vel fortunæ iniquitate , vel eorum , qui nimia dominandi libidine efferuntur , bellum nequaquam uitari possit, dicere solitus est pulchrum esse, & prudenti Principe maximé dignum se ad hostilem impetum sustinendum ita parare, vt omnes ho

ſtium conatus irriti, atq; inanes efficiantur, & feſſi, fractiq;, minimo ciuitatis incommodo, ab incœpto desiſtant. Vrbem uerò Ferrariam opibus, uiriſq; in omni uirtutum genere florentiſſimam, quam & munitam, & amplam accepit, geminis montanis domibus cum amœniſſimis siluis, fontibus, & labyrintis, & illis nobiliſſimis ornauit, mœniumq; fortitudini ingentem addidit decorem, omnes uerò aggeres, qui in totius ciuitatis ambitu intra mœnia ſunt cò cultu, atq; induſtria ſternendos excolendos, & omnibus omnis generis arboribus, & herbaſcenti uiriditate sic ueſtiendos curat, ut nihil gratius ad placidam ambulationem sit futurum. Giudeccā uerò uiam, quam ego, optimo iure, Herculeam appello, olim omnium ignobiliſſimam; & penè deſpectam, nunc lateritio pauimento egregiè ſtratā, ad eam nobilitatem deduxit, ut illi omnes delitias ſuas patres pariter, & populus detulerint. Qua de re extant nobiliſſima illuſtris Galeacij Gōzagæ carmina, uiri tū generis nobilitate, & omni morū ſuauitate præditi, tū in omni humanitate probè uerſati, & in carminibus ad Vergilianā amplitudinē, ac maieſtatē cōponendis mirè felicis; ut ex ijs ipsis carminib. eſt uidere. à quib. excitati, nos etiā nonnulla hac eadem de re, craſſa licet minerua, cōpoſuimus. Magnū ſanè fuit, et eius Principis prouidentia dignum, cuius auſpicijs terror hoſtib. inferatur, quieſcāt ciues, urbes omnes ſuas ab īminentib. periculis tutas reddidiſſe, hiſq; regijs ornamentis auxiſſe. Illud uerò maximum quod cum tota Italia, totuſq; Chriſtianus orbis mægra omniū calamitate, ob maximorum Principum odia, ac diſſentiones bellorum

face flagrarent, ipse ea moderatione, ac temperamento, omnia belli incommoda auertit, ut sine ulla eorum Principum, qui inter se accerrimè pugnabant, offensione, in tanto rerum discrimine, & Christiani orbis calamitate, nos semper incolumes, et ab omni periculo exemptos, magna in tranquillitate seruauerit. quo sanè nouimus, ipsi nec in præuidendo consilium, nec in agendo industriam defuisse. Ad Principum discordias componendas ea semper usus est felicitate, ut qui mortalia inter se odia exercebant, non solum in gratiam redierint, eorumq; animi fuerint reconciliati: sed multas Principi gratias egerint, qui odijs omnib. sedatis, ad eos se mutuò amãdos aptè cõpulerit. Et licet in multorũ dissensionibus, ac turbis componendis ualde laborauerit, tamen multò maiori negotio, et multò maiore nixu operam dedit, ut pro sua in Henricum, inuictissimum Gallorũ Regem, necessitudine, & in Carolum, felicissimum Imperatorẽ, obseruantia, eorum animi reconciliarentur, ex eorumq; fœdere, & amicitia toti Christianæ Reipub. exoptata ab omnib. pax exoriretur. Quod et si plenè nõ obtinuit, spero tamen quinquennales has inducias, quibus à bellis gerendis cessandũ est, eam orbi pariturас, quò ea, quæ nunc nostro sanguine arma maduerunt, pro Christiani nóminis amplitudine, aduersus religionis nostræ infensissimos hostes, uno omnium animo, conuertantur. Vt ea, quam Deus Optimus Max. orbi religionem cœlitùs dedit, uigeat, augeatur, & ad pristinum decorem, ac cultum, eius hostibus attritis, uel ad meliorem sententiam conuersis, reuocetur. Et ut ipse Dux noster, apud quem nul-

lam violatæ religionis crimen excusationem habet, pro sua in Deum immortalem pietate, eam incorruptam, ac inuiolatam in tota ditione, magna cum diligentia, tuetur, ac conseruat, ita etiam, & sua, & maximorum Principum ope, omni impietatis caligine abstersa, in toto terrarum orbe splendidissima nitescat. Cum verò ipsum nunquam latuerit, iustitiam, quã ex Ioue natam prisci poetæ cecinerunt, eius Principis, qui sit in vigilia ciuitatis, oculum esse debere, quo vniuersam ditionem æquo lumine intueatur, & quæcunque sub eius custodia fiunt, diligenter inquirat, curetq; ne cœtus hominum, sub ipso, iure sociati iniuria segregentur, ac seiungantur, totius iustitiæ est vsque ad seueritatem obseruantissimus. Curat .n. ut vnicuique suum seruetur; nec quicquam in iudiciis sit venale, nihil alicuius auctoritate occupatum, nihil gratia corruptum, nihil odio violatum, vt ea, quam leges volunt incolumen esse, ciuium coniunctio, suo etiam præsidio, incolumis seruetur, & nihil vnquàm inuidia adimat diuiti, nihil contra ius, & fas pauperi adiungat misericordia. Sed quæcunq; in forũ aguntur causæ, eũ quẽ ius, et lex postulant; exitum habeant. Atrocia; & voluntaria, & cogitata scelera apud ipsum veniã nõ inueniũt, reliqua vero' quę, vel casu, vel fortuitò cõtingũt, et si grauia, ne semꝑ sũmo iure puniãtur, facit iustitię iũcta clemẽtia. Vt verò oĩa, ꝑ eius voto, ĩ ciuitate succedãt, & q̃ iuris sũt ĩuiolata seruẽtur, magistratus, & in hac ciuitate, & in toto eius imperio in viros probos ac iustiss. confert. Primũ Illustrẽ Galeaciũ Estensem

Iustitia Principis oculus.

Tassonum cuius semper hac in vrbe viuet auctoritas, ob illius in patriam charitatem, iterũ Decurionum magistrum delegit. In foro autem iuri dicundo æquissimos præposuit iudices. Cũ vero' ipse preuiderit, illis, qui olim aliis Principibus, sibiq; etiam consiliarii fuerunt, nimium oneris, ac laboris impositũ fuisse, dũ consiliis, & iudiciis pariter operam nauabant; curiæ munus, quod vnum esse consueuerat, partitus est. A' consiliis. n. sibi delegit Francinum Michaelem Casalensem Episcopum, Alfonsum Rossetum Cymacliensem Electum, Bonifacium Rugerium equitem clarissimum, & Canossæ Comitem, Bartholomæum Mirolium, qui etiã Prætorem nunc magna agit cum æquitate, viros non minus iuris peritia claros, quàm sapientia, animi integritate, & incorrupta fide insignes. Causarum autem in curia æquo absolutoq; iure cognoscendarũ Bernardo Bergontio Parmẽsi, & Paulo Leoni Patauino, uiris nobilissimis, & iuris vtriusq; consultissimis, prouinciam dedit. Quod sanè munus ea obire studẽt integritate, vt nulli iustus cõquerendi locus relinquatur. Hisq; Principis optimi, ac sanctissimi auspiciis, & hac prestantissimorum virorum iusticia, & probitate hoc imperium, quod ipse amplum accepit, aureum fecit. Re. n. experimur Priores Principes a' maioribus nostris electos fuisse, ac factos. Hunc vero a' Dis immortalibus nobis cœlitus datum, vt illius virtute omnia nobis fausta, felicia, ac fortunata eueniant. Quicquid igitur boni, quicquid felicis, quicquid fortunati habemus, huic vni tam quam patriæ pa-

Decurionũ mr.

tenti debemus. Et cum ciues omnes illi plurimum debeant; tum ego maxime, quem ipse parua virtutis meę (quam sentio quàm sit exilis) opinione sua benignitate, vltrò, iam decennio, sibi a' secretis adsciuit, & in sapientissimi senatus sui parte locauit, pro quo immortali beneficio, ac amplissima dignitate, quicquid in me est ingenii, fidei, virtutis, vnà cum omni uita, & spiritu illi uoui, ac dicaui. Ne vero' quicquã tanti Principis felicitati deesset, duos, in spem longæ posteritatis, mares filios ex vxore Renata suscepit. Alterum Alfonsum, qui vsque à Puero, dum literis, Bartholomæo Riccio uiro eloquentissimo doctore, incumberet, ex ingenii felicitate, & ex ipso regię faciei decore, tantam virtutis significationem dedit, vt summa omnia in eo futura, certissimo præsagio oẽs sperarint, nec ipse de se conceptã opinionẽ fefellit. Nã auũ, quẽ noĩe refert penè adhuc puer, in re bellica, prudentia, cõsilio, fortitudine, felicitate æquauit, parẽtis vero ĩ regẽdo ĩperio peritiã prudẽti aĩo sic hausit, vt ipsũ, cũ illi pater absens totius ĩperii summã cõmittit; ætate quidẽ adolescentẽ, sapiẽtia vero senẽ, expiamur Hic.n. adolescẽs, vt diu senex esset, mature didicit esse senex. In quo illud magna est dignum admiratione, quòd, cum in spem tantæ successionis alatur, ea sit facilitate, vt non sermone, non ornatu, non conuictu fastum vllum præ se ferat. Sitq; illis, quibus imperare debet, socius potius, quàm Princeps. Alterũ Aloisium miræ suauitatis adolescentem, & in optimis literis probè versatum, Regiisq; omnibus moribus imbutum,

quē summū nostrę ciuitatis Antistitē, ea spe creatū videmus, vt inter Sanctę Romanę Ecclesię amplissimos patres duob. Atestinis Hippolytis nihilo minor sit futurus. Fœminas verò ex eadē Regia vxore tres genuit. Annā Frācisci Ghisę Regię stirpis viri, & Omellę Ducis vxorē, fœminā, supra oēm fidē, viri, pudorisq; amātissimā, & ingenio, pręter muliebrē captū, excelso. Lucretiā itē, & Eleonorā, virgines lectissimas, nō minus oībus oīum virtutū luminib. q̄ eximia pulchritudine, et excellēti specie ornatas. nothi vero gn̄ris vnā, Lucretiā inter sacras virgines Deo dicatā. Hęc ex egregiis, summisq; excellentissimi huius Principis laudib. libauimus potius, q̄ eas; hoc breui elogio (neq;.n. hę angustię tantā virtutē capere possūt) cōplecti nobis esset animus, vt illi in hac nobilissima Atestinorū Principū serie suus ēt esset locus, oīumq; decus, ac gloriā suis ipse virtutib. suisq; illustraret ornamētis; & huic meę lucubratiōi breuis hęc de ipso cōmemoratio tātū adderet splēdoris, vt quę suaptè natura, tātorū Principū reb. gestis impar existit, tāti Principis auspicio, ac fauore īgrata penitus nō existeret. Ego Deū opt. max. supplex obsecro, vt ipse, cū sūma hac corporis, fortunę, animi felicitate, īter natos, et nepotes īdies felicior, & fortunatior tranquillè, ac placidissimè consenescat.

COMMENTARIOLI FINIS.

LECTORI OPT.

Non ab re futurū iudicaui ea huic cōmētariolo carmina addere, quę de iis, quę ī ipso cōtinētur; poetico more, ptractāt, tu ea lege, & boni consule. Vale.

CYNTHII

SYLVAE

CYNTII IOANNIS BAPTISTAE GYRALDI SYLVAE AD ILLVSTRISSIMVM AC EXCELLENTISS. HERCVLEM ATESTINVM .II. DVCEM FERRARIENSIVM .IIII.

AD D. HERCVLEM ATESTINVM

Princeps Aoniæ decus cohortis,
Et Martis decus, & decus Mineruæ,
Cuius consiliis agunt beatam
Vitam, qui imperiis tuis reguntur.
Ista carmina, quæ tibi calendis
Iani condideram remitto; vt ipsa
Quæ diem nitidam tibi, & serenam
Bonis omnibus precantur, ipse
Fronte suscipias sereniore:
Sic Ianus niueas tibi calendas
Vsque ad nestoreos reducat annos.

AD EVNDEM CALENDAE IANVARII,

Iane decus superum, summus quem Iuppiter altis

Præfecit foribus cœli, & recludere postes
Posse dedit, nunc pande diem mortalibus almam,
Auricomus quam sol radianti lumine ducat,
Quadriiugo inuectus curru super ardua Olympi,
Huius vt exemplo veniens feliciter annus
Prodeat, & placidos cursus agat, atque recursus.
Pande diem magni Alcidæ virtutibus æquam,
Alcidę magni, quo non tua lumina cernunt
(Ipse licet videas vtroque à cardine mundum)
Consilio insignem magis, aut maioribus ausis
Conspicum; augusta magis aut grauitate verendum.
Nam talem si, Iane, dabis, satis ipsa, superq;
Læta orbi veniet; poterit nec tristis Enyo,
Nec Mars bellipotens, irarum concitus æstro,
Turbare Ausoniam, Regum discordibus armis,
Quin furor excitus dudum, & fera bella quiescent,
Ipsi nam, reges curis melioribus acti,
Hostiles ponent animos, pacemq; requirent.
Ergo diem pande Alcidę virtutibus ęquam
Iane pater, niteat toto lux aurea cœlo.
Et tibi cunctarum cum sit custodia rerum
Credita, tuq; vnus mundi modereris habenas,
Huc ades atque Heroa foue, quo sospite sospes,
Ferraria est. Aliæq; etiam, quas possidet vrbes
Felici imperio, quo nos grata ocia musis
Ducimus, & biiugi lustramus culmina montis.

Ipsum dum canimus, canimus dum prisca suorum
Facta patrum, atq; omnem, prima vsq; ab origine, gentem,
Egregiam gentem, cretam alto a' sanguine diuum;
Nos tibi thura pii dabimus, tibi vota quotannis
Soluemus, donisq; tuas cumulabimus aras.
Te modo, magne pater, non cassa in vota vocemus.

PAX INTER COMITES FRANCISCVM, ET SCIPIONEM ARCOS PER ILLVSTRISS. AC EXCELLENTISS. HERC. ATESTINVM .II. FERRARIEN. D.IIII. AD EVNDEM IPSVM.

Iam tales Bellona faces, Marsq; impius inter
Scipiadem, atq; illi consanguinitate propinquum
Franciscum excierant, vt bellum signa cruentum
Iam iam concinerent, hunc ni miseratus; & illum
Alcides pacis cultòr, sanctiq;, piiq;,
Hesperiæ decus egregium, quo clara propago
Gentis Atestinæ floret; quo iactat alumno
Se multum, multumq; pio Ferraria patre,
Cogitet vt tantas valeat componere lites.
Dicta dies belli fuerat, munimina belli

Stabant Martis opus, quo' iam mauortius heros
Scipiades gressum tulerat, vix luce coorta,
Venerat, aduersa mox parte, haud segnior armis
Franciscus, tacito voluens sub pectore multa,
Ambo animo, ac virtute pares, & fortibus ambo
Insignes factis, praeclaro a' sanguine & ambo
Arcorum creti, Sarcae qui ad flumina regnant.
Curritur ad vallum, pueri, matresq;, senesq;
Adglomerant alacres, praeceps & vulgus inundat,
Hinc atque hinc, tantae vt videant spectacula pugnae.
Iamq; uigor gliscens vtrunque in bella vocabat,
Cum Dux Alcides medius sese intulit, ambos
His super increpitans. Quae uos discordia vexat
Magnanimi Heroes? aut quis furor impius ambos
Praecipites in bella trahit? num dextra cruore
Gentili irrorans foedabit iura, fidemq;
Sanguinis egregii? ah scelus, ah scelus istud abesto.
Has potius seruate manus; viresq;; animosq;,
In vestros hostes, armis nomenq;; decusq;
Hinc petite, & vestrae sint hinc sua praemia laudi.
Nunc istas cohibete minas, nam nulla futura est
Gloria, nullus honos, hoc ex certamine, uobis.
Quin quaecunq; olim vobis est gloria parta
Concidet hac pugna, genus haec & pugna futurum
Ingenti labe inficiet, quam nulla vetustas
Deleat, aut seri valeant abolere nepotes,

Hac domus Arcorumq; cadet, ceu fulmine tacta,
Vlla igitur vobis domus est si cura cadentis,
Gentis venturæ tangit si gloria, siq;
Iam partus vos tangit honos, deponite tandem
Hæc odia, hasq; graues iras, animosq; rebelles.
Nobilitas hæc vestra petit, petit aurea virtus
Amborum, eximiumq; decus, & fortia facta.
Ipsi quin etiam manes, vmbræq; parentum
Hoc poscunt, manibus petit hoc & patria iunctis,
Nos etiam (quos vestra mouent incommoda, quosq;
Impulit huc ad vos tam sæui Martis imago)
Hoc petimus. stat si vlla huius nunc gratia facti.
Ne sæuite precor, cesset violentia ferri,
Vertite ab his odiis mentes ad munera pacis.
Quicquid erit litis, quicquid discriminis ipse
Tentabo vigili inter vos componere cura.
His dictis commoti ambo nec tela, nec enses
Amplius expediunt, positis sed protinus armis
Illicet incipiunt studiis mitescere versis,
Et vallum ingressi non iam decernere ferro
Tentarunt fortes, cognato aut sanguine fœdè
Commaculare manus, sanctæ sed fœdera pacis
Percutiunt, manibus iunctis, atq; oscula figunt,
Antiquo de more; genis, tunc signa doloris
Ira, furorq;, dedit, Mars voce immane frementi
Discessit, scissis nec non Bellona capillis

Tusa genas, laniata sinus iter arripit ore
Pallenti, tenues implens stridoribus auras.
At nitida succincta sinus concordia palla;
Clara oculis, læta aspectu, clarissima forma,
Et pax alma, tenens ramum felicis oliuæ,
Implicitis pariter manibus, pernice chorea,
Sese hilares monstrant, & plausibus æthera complent.
Mox hominum, diuumq; pater, cui fœdera curæ,
Intonuit læuem, firmauitq; omnia signo.
Obstupuere omnes, quòd quos non vlla patentum
Sedulitas potuit componere, nulla precantum
Cura vigil, potuit dictis componere amicis
Alcides, dum belli ardor flagraret vtrinque.
Inq; illum conuersi omnes crebrescere voces
Laudantum audiri cœptæ, sonat arduus æther
Alciden, resonant dum Alciden pulpita, & omnis
Hinc locus atque illinc, plausuq;, & voce canentum,
Qui Alciden læto Alciden clamore frequentant,
Heroi dum dant facti immortalis honorem.
Discite, Mortales leges qui imponitis orbi,
Hoc duce commotos hominum sedare tumultus,
Non illis alimenta dare, & non ponere vallum,
Impune vt sese perimant vltricibus armis,
Quin iras lenite graues, flamnasq; furoris
Accensas dictis placidis, atque arte magistra
Sopite, & terris immania pellite bella,

Hoc virtutis opus, veræ hæc sunt munera laudis,
Sic iter ad superos sternit sibi quisque, paratq;
His meritis decus eximium; famamq; perennem.

BAPTISTINI STROTII FVNVS.

Ergo etiam sæui potuit violentia fœti
Te, Stroti miserande, nigras demittere ad vmbras,
Nec tua te potuit morti subducere virtus
Aurea, non potuit pietas, probitasue, fidesue,
Non validum roburue tuum, non martius ardor?
Et dubitamus adhuc virtutem cedere fatis?
Ah sæua, ah nimium nobis crudelia fata;
Scilicet hoc verum est. Melioribus impia tendit
Insidias Clotho, & rapida crescentia dextra
Magnorum decora Heroum rescindere gaudet.
Quas heu; quas lachrymas fudit mæstissima coniux;
Ora, genasq; manu leniata, & scissa capillos,
Exanguem complexa virum, dum numina quæstu
Sollicitat, casusq; suos, sua vulnera deflet?
Et lucem infelix flendo auersata malignam,
Defuncti sequitur fugientem coniugis vmbram?
Dum vero hæc scindit tremulis vlulatibus auras,
Stat pheretro accliuis pietas, atque ignea virtus
Et ferruginea contectæ corpora palla,
Candidaq; alternis tundentes pectora palmis,

Illachrymant ambæ cari mala funera alumni.
At pius Alcides, casum miseratus amici,
Ingemit. atq; parat nigræ solennia pompæ
Has fundens voces. Mihi te, carissime Stroti,
Pace ingens, belloq; ingens; cui credere curas
Suetus eram. regniq; vices committere; cuiq;
Et natos regere, iis regumq; infundere mores
Mandaram, eripuit sæui inclementia fati.
Sed quamquam rupit vitæ tibi stamina Parca,
Non tamen ipsa mei potuit dissoluere amoris
Vincula. Quin etiam cineres & busta suprema
Diligimus, manesq; pios, semperq; manebit
Noster amor, dum fata sinent nos ducere vitam.
Et nostro hærebis semper carissime cordi.
Interea, Lachesis nequeam cum scindere leges,
Aut placare nigræ crudelia numina Lethes,
Funeris extremos soluam tibi mæstus honores,
Vos ô, vos quibus est cordi clarissima virtus
Et benefacta iuuant, manibus date lilia plenis
Extincto; manesq; pios umbrasq; silentes
Spargite rore nouo, suprema & dicite verba.
Ipse illi tumulum pario de marmore ponam.
Atq; addam tumulo carmen, quo cognita virtus
Sit Sroti; & syncera fides venientibus annis.
Hic cineres Stroti, quo Alcidæ haud carior alter
Nec magis egregius factis probitate, fideq;.

Hæc

Hæc cineri ingrato dedimus triſtiſſima dona,
Tu uerò, Stroti, fragili compage ſolutus
Qui colis immixtus diuis cœli aurea templa,
Si te eadem tangit noſtræ nunc cura ſalutis,
Quæ te olim tetigit, votis, precor, annue noſtris,
Alciden patriæ dominum, patriæq; parentem;
Felicis regni faciles qui flectit habenas,
Reſpice, noſq; ſimul, ſublimi à cardine cœli.
Aeternoq; hominum patri, patriq; Deorum
Funde preces, læto vt tandem nos lumine ſpectet.
Et clemens faueat miſeris, cædeſq; cruentas
A' triſti Italia auertat, nomenq; latinum,
Barbaricis populis iam formidabile nomen,
Seruet adhuc, regumq; iras, animoſq; rebelles
Conciliet, poſitis vltrò vt diſcordibus armis;
Accenſas vertant mentes ad fœdera pacis.

ILLVSTRISSIMI ALOISII ATESTINI HERC. .II. DVCIS FERR. FILII GENETHLIACON AD EVNDEM DVCEM.

Non magè felici poterat tibi regia coniux
Optatam toties ſobolem, totieſq; petitam,
Hac peperiſſe die, ſacri myſteria partus

Qua colimus; tellus qua omnis, qua sydera gaudent,
Hoc voluit Diuum genitor te prospera nati
Omina nosse tui, tibi quantùm arrideat æther.
Hinc illi assiliunt veneres. Huic gratia ridet,
Atque puer Veneris blandùm felicibus alis
Applaudit, pueroque' puer, tela aurea, & ipsam
Suspendit pharetramq; humeris, arcusque' sonantes,
Et minor ipse tuo gestit concedere nato.
Nec minùs it circùm parui cunabula Phœbus
Talia voce canens. Fortunatissime patre
Macte puer, matre & felix, tibi fausta parantur
Tempora, te tristes casus, te tristia fati
Euenta haud lædent, semper te illustrior ipso
Os sacrum cœlo attolles, factisque' superbis.
Implebis totum patriis virtutibus orbem.
Te primum Aonides ducent super ardua Pindi,
Atque dabunt Citharæ dulces percurrere chordas.
Consiliis pectusque' potens Tritonia virgo
Implebit, ducetq; suas te diua per artes,
Dehinc Mars bellipotens, veniet cum fortior ætas,
Excipiet, pariterq; feris ferus induet armis,
Et conscendere equum, & duris frenare lupatis
Concedet, duroq; simul decernere ferro.
Et superare hostem, & partis gaudere triumphis,
Ni pia relligio tranquillæ ad munera vitæ
Te rapiat, cœtuq; velit te adiungere patrum

Purpureis patrum cristis, quos inclyta Roma
Miratur, totus pariter quos suspicit orbis,
Macte iterum puer, ó patris, matrisq; voluptas,
Cresce precor, felixq; tuos solare parentes,
Nos tua felici cantabimus ardua plectro
Facta, tibi dabimusq; æternum in secula nomen,
Interea ducent argentea stamina vitæ
Fata tibi, & crescet niueos hęc fama per annos.
Assensere Deæ dictis, mox candida cœlo,
Nix (mirum) fluxit, firmauitq; omina signo.

ILLVSTRIS GALEATII GONZAGAE CARMINA IN HONOREM GIVDECAE VIAE

Salue vrbis decus, & populo gratissima nostro
Alma via, vt cœli posita in regione serena,
Vt spatiosa domos ornataq; limina præbes,
Sic tibi delitias Ferraria detulit omnes;
Atque voluptatum primos indixit honores,
Hic choreæ, cantusq; uigent, hic tecta frequentes
Accipiunt, redduntq; viros; & gaudia miscent.
Hic iuuenum manus auratis se ostendit in armis,
Qui pugnæ simulacra cient, qui spicula torquent.
Quiq; alios ineunt cursus, inferre parati
Sæpè fugam, atque iidem fugientes limina retrò
Vertere, dum galea, Clypeiq; sub orbe teguntur

Hæc loca ſeruato celebrarunt ordine currus
Nec moti mutare valent, nec vertere curſum
Innumeri, celeresq; rotas via plena retardat,
Interdum variis reſonat clamoribus æther,
Flammigeræ volitantq; faces, ſtriduntque per auras,
Improuiſę alię accipiunt ſub veſtibus ignem,
Et timidas rapiunt in aperta pericula gentes,
Innumeros alię tonitrus, & plurima iactant
Fulmina, perq; hominum atq; pedes voluũtur equorũ,
Hinc riſus, timor hinc pallentes occupat artus.
Corpora quid referam in varias mutata figuras?
Diſſimileſq; habitus, mentitaque tempora laruis
Pręcipua in morem hunc cura eſt veſtire puellis,
Non tamen idem animus, nec luxus gloria cunctis,
Nanque alię forma caſtis, & moribus ęque
Incedunt; grauiterque oculos, greſſumque gerentes,
Hęc ſuccincta ſinus Dianam comitatur euntem,
Hæc veneri ſimilis crines circunligat auro,
Altera pugnacem Bellonę concutit haſtam,
Altera captiuo ducit de rege triumphum,
Vidimus hac currum inſignem tranſire Ttropheis,
Qualia bellatrix olim referebat Amazon,
Dehinc fera dulciſono mulceri pectora cantu,
Depoſitoque metu pacem regnare per orbem,
Herculis Aluiſius proles generoſa ſecundo
(Fœmineo excepto) peperit quem regia partu

Mater, in aduentu fratris læta agmina ducens
Nobile condit opus, festiuosquè addit honores.
Hos ludos, & multa tibi spectacula Princeps
Alma via instituit, populus, matresque, uiriquè.
Annua sacra vouent; hilaresquè ex ordine ritus.
Sic quoque te referas venturos læta per annos,
Litora dum Padus hæc, dum fortia menia cinget
Imperium ostentans, & prospera fata nepotum.

CYN. IO. BAP. GYR. AD ILLVSTREM GALEATIVM GONZAGAM DE HERCVLEA VIA GIVDECA APPELLATA:

Herculeam; GONZAGA, viam, quam carmine culto
Extollis; ludos celebrans, quos ciuibus illa
Ferre solet, tristes vt pellant pectore curas,
Mirabar, versusquè illi meditabar, Et ecce
Non modo digna via, Phebo sed carmina digna
Mittis; queis laudes cumulas, ludosquè recenses,
Quos fictis celebrat faciem mentita figuris
Turba omnis, genio indulgens, festisquè diebus.
Nunc hæc, nunc illa assumit dum protinus ora,
Et linguas simulat varias, variosquè colores,

Llludens nostros falso sub tegmine visus,
Hic iuuenes ficta certant sub imagine Martis,
Conspicui cristis, latè & radiantibus armis,
Sole lacessitis, flammas iaciuntq; crepantes,
Ducentesq; facem, volitat vulcanius ignis
Sublatus cælo, & liquidum per inane vagatur.
Nunc se hasta, stricto nunc se mucrone fatigant.
Nunc alacres surgunt, clypei nunc mole teguntur.
Hiq; fugam simulant, hi fallunt arte sequentes.
Seq; agitant vario cursu, varioq; recursu;
Quadrupedum vrgentes, duris calcaribus, armos,
Impauidi, miscentq; uices nunc terga lacessunt,
Nunc pectus ferro, nunc ilia cuspide tentant.
Non alios ducunt fluxus, aliosue refluxus
Mæandri incerto labentia flumina flexu.
It cælo plaususquè virum, sonitusq; turbarum, Alfon
Dum micat hos inter, chlamyde spectabilis aurea, sus
Illusa Baccis chlamyde, & fulgente Pyropo, Prince
Cui nitet extremus flagranti murificè limbus. ps
Pictus acu, Eois inspersusq; vndiq; gemmis,
Alfonsus, pace insignis, belloq; tremendus,
Seu rotet hic ensem, siue hasta prouocet hostem,
Fulgenti tectus galea, & thorace corusco,
Cyclopum manibus structo, quem Mulciber ipse
Arte laborarat, Siculæ sub rupibus Aethnæ.
Hic magnum Eridanum finxit læta arua secantem,

Lambentemquè tuos felix Ferraria, muros.
Currere iter varium, & latè spumantibus vndis,
Aequoreos penetrare sinus, septemplice cursu.
Exultant vndis Nimphæ, & Phaetontide ripa,
Nudæ humeros, niueosquè sinus, niueasquè papillas,
Populeaquè omnes redimitæ tempora fronde,
Alfonsum reducem excipiunt, humentibus vlnis,
Alcidæ peperit primum quem regia mater,
Atq; illum gaudent Rhodani liquisse fluenta,
Quosq; Garumna rigat, quos sequanaq; alluit agros.
Alpinasquè niues, rupesquè & in hospita saxa,
Post varios rerum casus, variosquè labores,
Et proprias petiisse oras, & flumina nota,
Amplectiquè patrem, & patrio requiescere in ostro,
Dumquè simul ludunt, dumq; omnes agmina densant,
Et Celeri, in numerum iactant dum bracchia motu,
Alternantquè vices, quatientes plausibus amnem,
Exilit vnda nitens, videas spumare reductis,
Hic latices manibus, ruit vndique, & excita pubes,
Et reduci assurgit domino, reducemq; salutat.
Et concepta animo testatur gaudia vultu.
Et Phaethonteæ dant illi Electra sorores,
Oblitæ luctus veteres, & funera fratris.
Erant candentes herboso in flumine olores,
Qui decus Herois, nomenquè ad sydera tollunt,
Quos inter ueniens Manthus huc Cycnus ab oris;

Exuperans candore omnes, & voce canora,
Dulcibus æthereas demulcet cantibus auras.
Eridanusqué pater, taurino cornua vultu,
Exultans, magis; atque magis gratatur alumno.
Muscosumque caput tollens à fluminis alueo
Ingeminat plausum, resonantibus vndique ripis,
Syncerae fidei monumentum, & pignus amoris.
Lemnius hæc illi fuluo cælauerat auro.
Sicquè artem addiderat precio, vt simulacra moueri
Ipse putes, ferriquè hilares ad sydera voces,
Et plausus veros rigidum ostentare metallum.
Hoc gaudens dono, summoquè hoc lætus honore
Egregius iuuenis, decus, & spes maxima regni,
Ardua cui mens est, casuqué excelsior omni,
Cuius in ore nitet maiestas digna parente,
Pugnaces turmas, simulacraque' martia miscet
Impiger, huc, illucque' volat velocior Euro,
Aeratas Martisquè acies magno impete versat,
Acer equum flectens, quondam quem Thracia mater
Conceptum Zephyro ediderat sub rupibus ossæ,
Hic vbi Centauri stabulant, gens aspera bello,
Inquè orbem hunc sinuat, cõmiscetquè orbibus; orbes,
Spumantemque' vrget, liquidasque' attollit in auras.
Virtutem laté ostentans, animosque' viriles,
Vix prima teneras tectus lanugine malas.
Sic Xanthum magnus frenis agitabat Achilles,

Cyllarum,

Cyllarum, & effusis vrgebat Castor habenis.
Hic etiam Aluisius patris, matrisque' voluptas, Aluisius
Deliciæque' vrbis, virtutis quem æmulus ardor. Esten.
Exurit, cuiusque' augustam ad maxima mentem.
Tollit laudis amor, solito' conspetior ibat,
Egregia instaurans prisci monumenta Trophæi.
Hoc duce, Amazoniũ in morem, densa agmina cogit
Bellatrix virgo, peltam cui dura bipennis
Asperat, hæc ducit deuicto ex hoste triumphum,
Quadriiugo curru, spoliis decorata superbis,
Coccineas vestes induta, sinusque' crepantes,
Exertam tereti zona subnixa papillam.
Læta oculis, clara aspectuque', & fronte verenda,
Aurea cui crines innectit fibula, cuique',
Regia victrices circundant tempora Lauri.
Virgineique' nitent, dura sub casside, vultus.
Pręcedit peditumque' manus, post densus equorum,
It numerus, læta hos frenat (mirabile uisu)
Nobilitas omnis, veterum mirata Trophæa,
Scuta virum, galeas, enses, arcusque' sonantes.
Captorum exuuias Regum, & victricia signa,
Prælungis affixa hastis, quas bellicus ordo.
Victorum præfert, lætum Pæana canendo.
Tibiaque' hic biforis; lituique', & timpana rauca
Dant sonitum ingentem, plausu tecta ampla resultãt,
Exultantque' viæ, & latè sonat arduus æther.

Vocibus altisonis quondam Berecynthia mater
Collè sub Idæo; tales audire solebat
Ante aras sonitus, & tales Orgia Bacchi.
Forsitan & similes quondam capitolia currus
Videre è victa Romanos ducere gente,
Militibus septos, toto comitante senatu.
Solennes spectat ludos stupefacta iuuentus,
Longæuique senes, & amantes casta puellæ,
Mirantur currum insolitum, & mirantur honores,
Spectandi excitæ studio per nota locorum
Confuso veniunt hinc, illinc ordine matres,
(Tantus amor niueis victricem cernere uectam
Quadriiugis, auro candentia corpora tectis)
Pilento molli vectæ, dum mobile vulgus,
Huc illuc vndat præceps, densusq; viro vir,
Explorat faciles aditus, sic flatibus æquor,
Impellunt auræ, crispant dum leniter vndas,
Aut tenues ducunt tremulos per cærula fluctus.
Currentum studiis loca desunt,& rota curua,
Itquè, reditq; viam sulcos iterata priores,
Quos delet deducta alio leuis orbita cliuo.
Nec mora, nec requies, rapidus circunstrepit axis.
Puluereum latèq; quatit leuis vngula campum,
Difusæq; iubæ ventis sparguntur in armos,
Frena albent spumis; crepitantq; vndantia lora.
Aurigæ instantis, pendet dum in verbera pronus,

Cornipedesq; agitat, cupidus præuertere cunctos.
Per fora, perq; vias, hęc dum ad spectacula currit.
Hiq; illos vrgent. gelida non crebior Arcto
Descendit grando; nec densior æthere nimbus.
Succutitur Tellus, & cursu pressa laborat,
Sed licet ipsa tremat, vasto & sub pondere anhelet,
Se tamen huic hilari gaudet supponere turbę.
Hic risusquè tener, mollisq;, & blanda voluptas,
Expers curarum, nulliq; obnoxia luctu,
Tergeminę Charites, tenerorum & mater amorum,
Exercent dulces cantus, manibusq; choreas,
Implicitis agitant, & sydera voce lacessunt,
Hic etiam volucer iactat sua tela Cupido,
Retiaq;, hosq; vrit, dura his & vincula nectit.
Dum vagor aspectu, dum lumine singula lustro,
Defecere oculi, nedum mens victa fatiscat.
Hæc mihi visa fuit mundi melioris imago,
Qua curæ morbiq; graues, qua turbis egestas
Vinctæ Erebo fuerant, arctis ex ære catenis.
Sic sanctos credo manes per amœna vireta,
Elisii nemoris, blandum spirantibus, auris,
Ludere, & vmbriferis vitam traducere syluis.
Sed quid ego hæc refero? quid tento carmine inerti
Obstrepere; ó GONZAGA tibi? non si mihi Phœbus
Aspiret. donentq; omnes Libetrides vndas.
Permessi haurire, & tereti mihi pectora Tyrso,

Bacchus agat, numeris vnquam comprehendere possē
Tot varias rerum facies, tot ludicra facta,
Herculea celebrata via. Te diuite vena
Hæc cecinisse decet, voluit quem pulcher Apollo
Consortem patriæ numeris æquare Maronem,
Hinc facilis multa à puero te insigniit arte,
Et tibi Calliope est semper modulata canenti,
Semper Apes labris fuderunt roscida mella,
Vt per te Ausoniæ splendescat gloria linguæ.
Per te etiam prisci latio reuocentur honores,
Et per te veniens tot gaudia sentiat ætas,
Hæcq; iuuet seros etiam memorare nepotes
Gaudia, quæ Alcidæ solers prudentia donat. HERC. DVX
Alcidæ magni, rerum qui flectit habenas
Atque labore suo populis grata otia præstat,
Italiæ inter tot clades, orbisquè procellas,
Quas miseris affert mortalibus impia Enyo,
Discordes acuens animos, quos quæritat vsque
Peruigili studio, & summa componere cura,
Hic nouus Alcides, orbis quò in pace quiescat.
Alcides regno felix, & prole beatus,
Prole atauum decus auctura, numerumquè Deorum.
Hoc tamen ipse mihi multò est felicior vno,
Quod patrii linquas liquentia flumina Minci,
Pascentis niueos, humenti gramine, olores,
Post habeasquè illum Eridano, quò fortia facta,

Alcidę

Alcidæ grauiore tuba, ſuper ætherea tollas,
Venturisq; tuo commendes carmine ſeclis.

AD EVNDEM.

Hæc ego dum memoro felicia gaudia luctus,
Me tenet, atque grauis mœror mihi corda fatigat,
Pro nato; heu miſerum, febris quem lætifer æſtus,
Exurit; roſeosq; illi depaſcitur artus.
Vnde egrum video totis tabeſcere membris.
In pubeſcentis florenti flore iuuentæ.
Tu carus Phœbo, Phœbum nunc flectere tenta,
Vt medicas adhibere manus, ſuccoſq; ſalubres,
Afferre haud pigeat, morbus ne ſæuiat vltra.
Sed patri natum ſeruet, natoquè parentem,
Qui cadet in tetro morientis funere nati.
Ni mutet fera fata auctor, princepſq; medendi.
Eſt dignus Phœbi auxilio, digniſſimus ipſe es,
A' Phœbo audiri, precibus ne parce precamur.
Alma ſalus tibi ſic adſit, te nectare diuum
Perfundat, ne te lędant contagia morbi;
Et Pyliam felix valeas ſuperare ſenectam.

FLAVIVS ANTONIVS GYRALDVS CYNTHII FRATER AD ILL. GALEATIVM GONZAGAM.

Giudecca vt vigeat nostræ pars gratior vrbis,
In quæ dies ludos det spatiosa nouos;
Curarum præstet populoq́; vt sola leuamen,
Aeger in hac animus si modo quęrat opem,
Vtq́; illam Cytherea, simul charitesq́; frequentent,
Haudq; alio spiret blandior aura loco,
Plus tamen his multó est, quod te Gonzaga canendo
Pingere tam raram iussit Apollo viam.

ILL. GALEATIVS GONZAGA AD FLAVIVM ANTONIVM GYRALDVM. CYNTHII FRATREM.

HERCVLE *digna via; Herculeę decus addita famæ,*
Mansura æternum prole sub Herculea,
Carmine non tenui nostro, sed digna sonoro,
Effert se quali Cynthius ore fuit.

Sic meã dum ſubrepit humi vix cognita muſa;
Materiæ magnus contulit auctor opem.
Hoc merui, quod clara tui ſub nomine fratris,
Verè perpetuum nunc via nomen habet.

FLAVIVS ANT.

AD EVNDEM.

Vndique dum miror verſus vel Apolline dignos,
Prȩclaram queis tu tollis ad Aſtra viam.
Obtutu maneoq́; diù defixus in vno,
Accipe quas dederit noſtra Camœna preces,
Di facite Herculeo vt creſcat via ſtrata fauore,
Gaudeat, & tanto principe ſæpe premi.
Et ſoboli Herculeȩ ſeſe omnes ſeruet in annos,
Perpetuoq́; iſtis floreat auſpiciis,
Atque diù poſthac pulchro ſit nomine læta;
Quod modo Gonzagȩ carmine adepta fuit,
Carmine quo prȩſagit eam bene vterquè Gyraldus,
Victuram, veterum cum monumenta cadent:
Euenient ſic cuncta, mihi nanque annuit ipſe
Pythius, oranti ſignaq́; certa dedit.

DE FERRARIA, EIVSQVE DVCIBVS ET HERCVLE .II. DVCE .IIII.

Debes principibus tuis, Niuentum,
Estensis tibi quos dedit propago.
Quòd quondam tu humili iacens palude,
Parui nominis, & minoris ortus,
Ipsorum studio, ac perenne cura
Effers hoc magè nunc caput superbum
Claras Ausonii soli inter vrbes,
Vilis quò magis; ac magis fuisti.
Sed multum licet auxerint priores;
HERCVLI *magis attamen secundo*
(Alfonsi soboli Ducis decorę)
Debes. Mœnia condidere primi;
Muro tergemino, Deumq; templa,
Siccarunt alii graues paludes,
Auxerunt domibus nouis vetustas.
Demum dum instabilis Dea, & superba
Cuncta verteret, impotente dextra,
Alfonsus, patriæ studens quieti,
Et qua sol caput exerit serenum,
Et qua is Oceano ruit profundo,
Natura licet inuidente, lœtis

Sepſit collibus, inuidere poſſint
Natiui quibus, atque amœniores.
Simulq́; aerias locauit arces.
Muriſquè oppoſuit minas, Enyus
Feroces quibus impetus fugaret,
Et Martis premeret grauem furorē.
Nunc verò Aoniæ decus cohortis,
Et Martis decus Hercules, decuſq́;
Ingens palladis, annuente cœlo,
Non muris modo, turribusùe munit,
Priſca aut commoda ciuibus tuetur,
Sed quas nunc penitus fugarat orbis
Virtutes laceras, ſituquè preſſas,
In te ſuſcipit, & ſuum nitorem,
Sordes eiiciens dat huic, & illi.
Hinc à ſydera domo Deorum
Nunc terras repetit, diù relictas,
Aſtræa; huc redit, et viget fugata,
Iam dolis hominum fides, vigetquè
Humano pietas repulſa faſtu.
Hinc muſę; hoſpitiū quibus paratū,
Duxquè ipſe Aonii chori, paterquè,
Incincti pariter virente lauru,
Lœtantur reſides lyrę mouere
Docto pollice nunc fides ſonoras,
Et iungunt fidibus modos canoros.

HERCVLEM *quibus,* HERCVLIS*q; facta,*
Et tuas valeant referre laudes,
Vosque' ambos media locare Cirrba.
Septos muneribus perennis œui,
Felix hoc DVCE *ter, quater, Niuentum,*
Siue tu Arioli forum vocari,
Seu quo nomine notiore mauis,
Nunc mecum superos rogo precare,
Quòd vt Nestoreum dedere pectus,
Sic dent Nestoreos dies videre
Huic, quo non alius magis benignus
Pace, non alius magis timendus,
Cum Bellona fero furit flagello,
Nam si impleuerit hic, dies senectæ
Tot te muneribusque', adoreisque'
Augebit, tibi vt inuidere possit
Vrbs, quæ collibus est locata septem,
Vel quæ est Adriaco locata ponto,
Vel quę nomine Palladis vocata est.

SYLVAE

IAN. CAL. AD HER. DVCEM.

Phœbe, qui mundum radiis nitentem
Reddis, & claro iubare vnus affers,
Quicquid obscuras tenebras repellit.
Noctis opacæ,
Herculi pandas pater, alme lucem
Splendidam, nube & penitus carentem
Tuquè felici radio micantes.
Exere vultus.
Iane, qui summa statione cœli
Ianuas horis leuibus recludis;
Huic, rogo, lætas aperi calendas;
Sydere dextro.
Nam satis nobis fuerit videre
Herculem, vobis ducibus, secundum
Sospitem, nam hoc incolumi secunda.
Cuncta videmus,
Vos duces ergo redeuntis anni
Huic diem faustam pariter referte,
Omnis hinc annus veniat sereno
Numine nobis,
Ara sic vobis caleat quotannis
Thure, sic vobis pia sacra ponat
Quisquis agrestes, penitusue cultas.
Incolit oras.

ERRATA SIC CORRIGE.

Inclyta, I. B. 6. *Inclyta*,
Accrescere 3.*b*.25. *augere*.
Pessumdare 6.*b*.24. *pessundare*.
Abactio, 8.*b*.24. *ab Actio*.
I magno 10.*a*.21.*in magno*.
Lccccxx. 10.*b*.15. *Dccccxx*.
Non Vgonis.10.*b*.24.*non* Alberti
969. 11.*b*.22.949.
Austratiæ oppido Germaniæ. 12.
11.*a*.corrige.in *Austria*.
Daciæ Rex (*ea est regio, quæ nunc Transiluania dicitur*) 12.*a*. 19. *ad d e uel ut alij* Daniæ.
Mutatione 13.*b*.3. *mentionem*.
Adeptus 18.*a*.11. *post uerbum adeptus desunt hæc*, 1196. *uel ut alij*. 1199.
Vlterius 18.*b*.16.*ultoris*.
Iurisditione.20.*a*.16.*desunt*
A Celani comitibus.
Iuenio 21.*b*.1. *inuenio*.
Senogalicæ 21.*b*.15. *Senogalliæ*.
Impressiionem 22.*b*. 9. *Impressionem*.
Teterrimo 23.*a*. 24. *Teterrimo*.
Exececrabilem 23.*a*.23. *execrabilẽ*.
Annis 15.25.*a*.21. *Annis*.23.
1299.25.*a*.18.12.1289.
N. *Obicius* 26.*b*.16.*n*.*Actius*.
In *Obicium* 26.*b*.21.*in Actium*.
Obicius ipse 27.*a*.22. *Actius*.
Vindicauit 28.*a*.9. *uendicauit*,
Et ita semper in hoc significatu scribendum.
Nõ.Quintilis.29.*b*.22.Nõ Sextilis.
Vnanimes 28.*b*.9. *uno animo*.
Compariam 30.*b*.1. *comperiam*.
iiii kl. Nouembris.31.*a*.3.*ix*.*kl*.
Rebelione.32.20.*b*.*rebellionem*.
Curam.32.24.*b*. *Curiam*.
Sentiam,32.*b*.18.*sententiam*.
1383.32.*b*.19.*alij*.1382.
Nostris 33.*a*.22. *nostri*.
Illic 33.*a*.23.*illinc*.
Beneuolentia, meusq; in ipsum amor 33.*b*.3.*beneuolentiam,meumq; in ipsum amorem*. 1335.33.*b*.7.1385.
Fuluuis.34.*a*.4.*fidius*.
IIII. *kl*. Aprilis:34.*a*.16.7. *kl*.
Gazzam 35.*a*.3.*Gazam*.
1393.35.*a*.16.*alij*.1391.
Confirmatus fuit.36.*a*.17.*est*.
1410.36.*a*.17.1403.
Patruum 36.*a*.18. *patruelem*.
19. *kl*. Martij 36.*a*.20.Pridie. Idus Aprilis.
19 *kl*. Martij 36.*a*.20. Pridie. Idus Aprilis.
9 *kl*.Sept. 37.*a*.14.10.*kl*.Sextilis.
kl. Octobris 37.*a*. 26. Septembrius.
1426. 39.*a*.2.1406.
Constantinopolitanus,37.*b*.18. *Constantinopolitanus*.
18. *kl*.Feb.39.*a*.8.19.*kl*.Feb.
Profitenda.39.*b*.26.*profitendam*.
Pridie Non.Sept.41.*a*.5.*alij*.*kl*.Sept.
Dudius 41.*b*.25.*dubius*.
15. *kl*. Feb. 43.*a*.14.16.*kl*.Feb.
Herculis 44.*a*.14.Hercules.
Inuidiorum 45.*a*.17.*inuidorum*.
Actututum 45.*b*.5.*actutum*.
1463.49.*a*.17.1473.

ERRATA SIC CORRIGE.

5. Non. Iunij ibidem 3.Non.Iulij.
Beatricem.49.a.25. Lucretiam.
Conferēdus 49.b.8.conferendus sic.
Torrestres 50.a.14.terrestres.
Poterant 50.a.26.poterat.
Pares gratiæ referendæ 50.b.13. par gratia referenda.
Potiret.54.b.3.potiretur,
Pertesum 55.b.26.pertæsum,
Turbulentisq; 54.b.26. turbulentiq;
Didicisse 57.10.a. didicerent.
Solo 60.a.11. Salo.
Aequo suæ 61.b.7.æquo illius.
Otesimorum 63.b.1.potentissimorū.
Pruduntius 63.a.5.prudentius.
Summopore.65.a.5.Summopere.
Dispensionem:69.b.1. dispensationē.
Ostendit quàm 70.b.3. ostenditq; quàm.
Stabilendam 72.a.14. stabiliendam.
Belorum 72.a.25. bellorum.
Alphonsum fratrem:73.a.15.patrem:
968.73.a.12.949.
537. ibidem. 587.
In tutel.73.b.1.in tutellam.
Nulla a Deo maior.74.a.11. nullam a Deo maiorem:
Eū principem:75.b.18.eos principes.
Manfronij: 76.a.9.Manfronij scelus
Princeps 76.a.23. Principes.
Nec Italia 76.b.1. nec in Italia
Non egerint, 76.b.18. non eguerint.
Tunctorum 77.5.a.Tunetum.
In eorum 77.a.16. in earum.
Prouexit 77.b.1. prouexit eam.
Munitor 77.b.12. munitior.
Vel eorum 77.b.23.uel eorum cupiditate.
Omnibus 79.a.8. ominibus.
Conspicum 79.b.11. conspicuum.
Nobilitas hæc 81.a.6. Nobilitas hoc.
Leuem 81.b.9. Leuum.
Flamnas 81.b.24. flammas.
Fœti 82.a.7. fati.
Sit Sroti. 82.b.25.sit stroti.
Turbarum 85.b.16. tubarum.
Conspetior, 87.a.5. conspectior.
Crebior. 88.a.3. crebrior.
Inquæ, 89.b.2. inq;
Vndiq;.90.a.10. undique.
Sydra. 91.a.16. syderea.

Interpunctiones, quæ desunt, uel uacant, uel literarum inuersiones, accentus, qui desunt, uel supersunt, & reliqua id genus, cum alijs erratis, si quæ aderunt, legentium benignitati castiganda relinquimus, nemo enim hoc in munere adeo Lynceus esse potest, quin aliqua fallant legentis oculos.

CORRECTIONVM

FINIS.

Totius operis Registrum.

A.B.C.D.E.F.G.H.I.k.L. M.N.O. P.Q.R.S.T.t.V.X.Y.

Omnes sunt duerni excepto Y. Qui est ternus.

CANDIDO LECTORI.

VT Impuro, ac fœdissimo Momo tu, Candide Lector, occurrere poßis, non ab re duximus hic tibi auctores subijcere, quorum fide, ac testimonio, hæc, quæ hoc in commentariolo continentur, literarum memoriæ, tradita sunt, In illos inspice, & Bene uale.

AVCTORES RERVM HOC IN COMMENTARIOLO. CONTENTARVM.

Lilius Gregorius Gyraldus.
Cronicæ Carpi fragmentum.
Flauius Blondus.
Georgius Merula.
Platina de Vitis Pontificũ.
Diplomata Pontificia.
M. Ant. Sabellicus.
Raphael Volateranus.
Riccobaldus.
Polhystorius.
Pandulphus Colenutius.
Strabo.

CANDIDO LECTORI.

Iac. Philip. Bergomas

Peregrinus
Ludouicus *Prisciani Pater .S. & filius.*

Cælius Calcagnenus.

Leander.

Paulus Iouius.

Marius Equicola.

Ludouicus Areostus

Cælius Rhodiginus.

Cronica Vetus Ferrarien.

Cronica parua Ferrarien.

Simon Fornarius.

Annales Canal.

Cronica alia Vetus.

Annales auentoris à maioribus suis exscripti.

Mattheus Palmerius.

Petrus Bembus.

Bandellus.

Cronica Aquileiæ.

Petrus Gerardus de uita Ezelini.

Io: Boccacius.

Io: Villanus:

Borosus.

Ioannes Lucidus.

Genealogia Principum Esten. Iam multos annos exscripta, & à multis excerpta.

Macchiauellus,

Et alij qui passim de nobilissima.

A testinorum familia scripserunt:

Estensium Principum Index.

